

QK. 2. 1. 1.

(X-1883949)

Ko

II n
2895^a

IRMINSVLA
SAXONICA,

HOC EST

Ejus nominis IDOLI, sive NUMINIS TV-
TELARIS, apud antiquissimos SAXONES
paganos culti,

Et à KAROLO M. Augusto per occasionem
belli Saxonici destructi,

luculenta & accurata descriptio.

Auctore

HENRICO MEIBOMIO.

112



IRMLINSLA
SAXONICA

ET KAROLO
HENRICO MELBOMIO





Reverendissimis, nobilissimis, reverendis, & clarissimis Dominis,

Dn. ARNOLDO, Præposito, Dn. HEIDENRICHHO, Decano, Dn. FRIDERICO, Scholastico, & toti CAPITULO cathedralis ecclesiæ

HILDESHEIMENSIS,

Dominis suis gratiosis, S. D.

Hilmsulam, veteris Saxonix, verum Deum ignorantis, commune & tutelare numen, sive Idolum potius, mitto ad vos, Patres augustissimi. Quid dicitis, tunc illam ad nos, & nunc demum, quam ab annis plus minus octingentis habemus in loco publico, conspicuo, sacro? Novi & vidi antiquissimum hoc sine dubio universæ Saxonix monumentum: vidi, inquam, & suspexi. Nescio enim quâ occultâ dulcedine animos ingenuos adficiant istæ quales quales antiquitatis ultimæ apud nos superstites reliquix. Certè non abs re dixit Nicephorus Callistus lib. 1. *Quicquid vetustate commendatur, id venerabile esse necesse est.* Et Hegelippus lib. 3. cap. 18. *Dulce est inter majorum versari habitacula, & veterum*

nam dicta factaque recensere memoria, atque eorum
inherere gratia. Ad vos redeo, Patres spectatissimi,
habetis quidem Irminfulam, sive ut nos hodie lo-
quimur, Armenfulam, verum qualem ego nunc
ad vos mitto, nunquam vidistis antea, ita nempe,
pictam & fictam, ut, (confidenter hoc dico) nec

— — Parrhasius aut Scopas,

Hic saxo, liquidis ille coloribus

Solers, nunc hominem ponere nunc Deum,

melius eam repræsentare potuerint. Sanè quan-
tum in me fuit, pro eâ exornanda illustrandâque
excussi omnia vetustatis nostræ adyta, sacraria &
penetralia: diligenterque & cum curâ auctores in-
ter se contuli, neque temerè recentibus quantum-
vis magni nominis famæque viris, fidem adhibui:
imo conjecturas eorum aberrantes, frigidas & je-
junas assertions, vel potius dormitantes oscitati-
ones, non semel notavi, reprehendi: eo duntaxat
fini, ut quod Plinius in præfatione historiæ natu-
ralis habet, *obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastidi-
tis gratiam, dubijs fidem redderem*, id est, ut Irmin-
fulam, quasi ab oblivione vindicatam, aperta-
que in luce positam, non vobis tantum, Patres re-
ligiosissimi, sed toti Germaniæ facerem quàm no-
tissimam. Neque soli, ut opinor, Irminfulæ lu-
cem

cem foeneratus sum, verum in hoc commentario passim per oblatam occasionem ea admiscui & adpersi, quæ ad historiam communis patriæ illustrandam non parum conducere poterunt. Dicam quod res est, & cur id nolim? sæpe mihi bilem movent ævi nostri historiographi, qui plerumque quicquid vel apud Crancium, vel alium quempiam ejus ævi & classis scriptorem inveniunt, id statim cartis illinunt, proque indubitato lectori obtrudunt, nullâ institutâ prius discrepantium auctorum collatione: non investigatâ antiquitate superiori, degustatisque fontibus è quibus Cranciani rivuli promanarunt: non inspectis Pontificum max. bullis, Cæsarum diplomatibus, Episcoporum principumque politicorum literis & instrumentis. Quæ omnia hîc, tum industriè & sine fastidio investigari, tum cogitatè accurateque adhiberi debent. Veritatem enim, ut Terentiani verbis utar,

*Dumos inter & aspera
 Scruposis sequimur vadis.
 Fronte exile negocium,
 Et dignum pueris putes:
 Aggressus labor arduus,
 Nec tractabile pondus est.*

Ego quod alibi conatus sum diligenter, in Irmin-
 sulâ etiam cum studio volui experiri. Quicquid
 id est operæ & laboris, Patres augustissimi, patro-
 ni gratiosi, vobis dico, consecro. Et quibus recti-
 us & meliori jure? Vestra est res mancipi Irmin-
 sula, auctoritate magistratus supremi: per vos
 hospitibus, quotquot eam peregrè advenientes
 adspiciunt, suspiciunt, etsi muta, quotidie incul-
 cat memoriam inæstimabilis beneficij, quo De-
 us opt. maximus vniversam adfecit Saxoniam,
 ministerio Karoli M. ab horribilibus fœdæ gen-
 tilitatis tenebris clementer liberatam. Suscipite
 igitur æquis animis vivam & præsentem divini
 muneris testem, novis nunc demum non tam co-
 loribus pigmentisque, quàm historicâ descripti-
 one haut inamœnâ superbientem, meisque in il-
 lustrandâ patriâ, ejusque antiquitatibus eruendis
 honestissimis conatibus ex animo favete. Helma-
 stadij ex academiâ Iulia, Kalend. Martij, anno
 MDCXII, qui est supra octingentesimum quadra-
 gesimus ab initio belli Saxonici, & destructione
 fani Eresbergensis.

HENRICVS MEIBOMIVS.

EK-

ΕΚΤΥΠΟΝ ΙΡΜΙΝΣΥΛΑΕ.





Lectori S.



N tibi, candide Lector, simulacrum IRMENSU-
 LÆ qualis hodie ante presbyterium in summo tem-
 plo Hildesheimensi conspicitur. Habet in longitu-
 dine pedes plus-minus undecim: circumferentia pro-
 ximè basin est duorum cubitorum. Basis ipsa constat è rudi la-
 pide sive topko: columna est marmorea, coloris spadicei. Cin-
 gula, quibus ambitur, sunt ex aurichalco, inaurata duo, medi-
 um & superius, sicut & interstitium, quod est inter hoc & co-
 ronam: quæ & ipsa inaurata, nec minus circulus cupreus ei in-
 cumbens, inscriptos habens tres versus heroicos, sicut memi-
 nimus infra cap. 8. Totum opus incingitur cancellis ferreis den-
 tatis, ne quam patiatur injuriam. Audi & hoc lector, inspectâ
 editione Adonis Viennensis Parisiensi, prioribus longè emenda-
 tione, deprehendo ibi legi ADVRMENSVL, quæ enun-
 ciatio convenit cum hodierna, quâ ARMENSVL voca-
 tur. Primi scriptores rerum Francicarum, in vocabulis no-
 stratibus multas coacer varunt vocales, unde pronuntiatio hor-
 ridior, simul & scriptio, Sic Reginoni HERIDIVICVM,
 quem HARDVICVM dicere debuisset, & VVILE-
 NEBURG, quod simpliciter VVEILBURG, dicitur,
 appellare placuit. Sic Ditmaro Merespurgensi VVIRINHA-
 RIVS scribitur, quem VVERNERVM rectius di-
 xisset. Hæc monere te volui, nescius ne esses.

Vale

JOAN-



IOANNI HENRICO MEI-
 BOMIO, DOCTISSIMO
 & humanissimo iuveni,
 S. D.

JOAN. CASELIVS.



N pluribus tui diligendi causis, IOANNES
 HENRICE MEIBOMI, & omnium prima,
 hac est, & cum primis necessaria, quod CL. V.
 HENRICVS MEIBOMIVS, pater tuus, me tibi
 primo natu filio, primùm hunc solem adspicienti
 συεπιμελητην, de more delegit, cum tuo nomine no-
 men tuum Salvatori daremus. Etenim ille notitiam nostram, qua
 inter nos è communibus litteris & collegij principijs recentior esset,
 novo certioreque vinculo confirmatam, migrare in arctiorem amici-
 ziam tum voluit. Sedulo enim & constanter hoc agunt viri boni, ut
 qua semel ex virtute, aut non falsa virtutis opinione coaluerit bene-
 volentia, omni ratione & perpetuis studijs crescat & stabiliatur.
 Hoc vero etiam animo, & ipsemet fui ab initio, in quo cum laudata
 pertinacia perseveraverim, à me àdesciscere hac aetate nunquam po-
 tero: ac profecto ita sentio, nihil esse privatim iucundius, nihil publicè
 salutaris tali bonorum conspiratione, quos sapientia studia potissi-
 mum devinxerint: de quo & sapientum monumenta & divina ora-
 cula nos passim erudiunt. Verum ego de te ad te principio huius epi-
 stola potissimum loqui volebam, & institueram, quod rectè à me fie-
 ri, vos quoque censeatis. A puero autem me ingenio & modestia tibi
 porro devinxisti: modestiam probasti nobis probitate morum, ingeni-
 um discendi desiderio & profectu in litteris: neque ego desideravi in

B

te me.



zemei observantiam, tu quoque facile ex omnibus signis amorem in
 te meum, à paterno secundum perspexeris. Cura autem singularis
 erga te, neque à me requiri potuit, quæ etiam supervacanea videri
 poterat, cum & pater moderaretur studiis tuis, & ipse cupide ma-
 gnoque studio audieris doctissimos in omnibus partibus studiorum sapi-
 entia, qui veritatem, non opiniones, sectarentur. Nec pœnitebit te eius
 operæ, quam singularem & multam dedisti CORNELIO MARTINO
 nostro. Etsi autem præceptis & cohortatione ad te mea tibi nunquam
 opus fuit, tamen collaudavi te sapius, quod esse pro illis potuit, & de-
 buit, & fuisse suspicor: neque hodie aliare opus est, nisi, ut non inco-
 gnitam vobis benevolentiam, non tam tibi, quam alijs aperiã: ad
 quam rem hanc mihi sumpsi occasionem, quod pater tuus mihi his die-
 bus, suam de Irmensula lucubrationem legendam misit, quam prope-
 diem publici iuris facturus videretur, de promptam ex historia Ger-
 mania Saxonica, non novam, nisi dicas plures historias. Plures enim
 ille libros, alios in lucem editos, alios in bibliothecis hæctenus latentes,
 multis annis, longo difficiliq; labore evoluit, non tam, ut de maiorum
 idololatricis cultibus erudiremur, quàm gauderemus, & DEO beni-
 gnissimo gratias ageremus, qui in Germania, abolitis impiis ritibus,
 lucem celestis veritatis ante aliquot secula accendisset, qua in hunc
 diem quoque fruimur. Ab annis iam pluribus laudem promeretur
 pater tuus ea arte: quæ ipsi laurum & nomen absque invidia peperit,
 qui & inventuti poetas interpretaretur, & ipse veterum scriptis pa-
 ria pangeret. Magnum illud est, & sapiente viro dignum, docere
 minores rationem vitæ hominum, & eos simul moribus, & consiliis
 instruere: quod pollicentur & præstant prisca primi perelegantes scri-
 ptores, quos sive vates sive poetas dixerunt: qui scilicet essent pro sapi-
 entibus, vel sapientes ipsi: hoc olim quoque ad patrem tuum me scri-
 psisse recordor, singulari tum honore ab imper. RVDOLPHO II. affe-
 ctum: tu quoq; illa aliquando legeris: non novum, sed à pluribus vi-
 nis doctis non minus luculentè traditum. Eiusdem artis erat secundum
 effici-

officium, ut praeclara scriberet, de rebus eximiis, & virtute praestantes premio laudum liberaliter afficeret. Sed carminum nominatim recensionem instituere nihil attinet; neque hic fieri possit aut debeat: quantum iure tribuat Mysingerorum familia inter familiares proximè celebratum fuit. Illud autem & ipse si non cultis versibus, at oratione, soluta numeris, saepe neque prorsus negligenter secutus fui. Poëtarum sanè est sapientiorum, ut Sículus ille cecinit: ὕμνεϊν ἀθανάτους. ὕμνεϊν ἀγαθῶν κλέα ἀρεῶν, & hoc unumquemque decet, qui nomen suum in bonis scriptoribus haberi velit. Alterum verò etiam mereatur laudem, nec illà minorem, neque priori adversariam, postquam historia quoque studio se immergit altius, non solum ut doceret publicè, sed etiam CL. Reineccij successor, eruta è tenebris multa publicaret. Docere res gestas omnium saeculorum & gentium, & interpretari, ut historia finem percipiant auditores, sive ad se emendandos, sive ad depromenda consilia vel suis, vel alij, vel patriæ, (nam qui neutrum spectet, ut verborum imbres effundat, non docet tamen) magnum profecto est, tum quod non cuiusvis, tum quod nihil in vita utilius. An enim facile, habere in memoria temporum quasi omnia momenta, & universi orbis terrarum situm? & ostendere, quæ cui usui sint? Hæc qui noverit, quæ principio & ante lectionem vel sub ipsam scire necesse est, sibi vel ipse interpret erit, illius generis rerum omnium: etsi neq; alterum regem, qui magistrum audit, eum magna felicitate plurimum proficere, etiam brevi: quod regum & fortunatorum filijs ex usu est: quo bono nisi utantur, neque forte unquam, nedum subiuentiam in tot tantarumque rerum cognitionem penetrent, quorum non paucos novimus, de multis, magnis, & abstrusis rebus, quam eruditissimè differentes, quarum unaquæque certum hominem postulare videatur. Sed de historia interpretatione hic differere, plus loci non est, quàm de altero, quod prius obiter attingi. Sed neq; dicam de descriptione historia: quid enim? qui non doctum, sed predicatum collega labores, sive tantum probatum, veniam, ut alij cognoscant, quid super hoc instituto sentiam ipse, sive quid sentiendum sit, discant minores. Si enim paternas

laudes ad filium persequi instituiam, non erit nemo, qui hoc carpat: neque
 velim apud vos in suspicionem venire: neque videri venisse apud
 quemvis alium. Illud autem scribendi genus, quo in obscuro latentia
 in apertum proferuntur, esse arbitror, qui improbet, neminem: nec fie-
 ri potest, nisi quis ignorare quamplurima velit, novisse singulare
 quidquam nolit. Nosse autem cum alia remotissimorum & saeculorum
 & populorum, jucundum sit, tum domestica & patria in conspectu
 habere, jucundissimum est, etiam si fructus alius non accedat, qui in
 capiendis consiliis eminet maximus, dum vicina cum vicinis compara-
 mus, proxima à proximis potius petimus, quam ex altero, sive saeculo,
 sive orbe. Praeclare mereritum de patria, tum de aliis existimandus
 est, qui haec investigat, colligit, & nobiscum communicat, quamvis
 incredibili labore, & nunquam interquiescente opera. Multa vero
 etiam, praeter hoc accuratum opusculum, ante hac edidit, huc facien-
 tia, pater tuus, & quidem pridem, notas ad Sleidani de quatuor mo-
 narchijs librum, non mihi tantum aut paucis solum probatas, sed ac-
 ceptas passim gentium ab omnibus historiae studiosis, ut exempla toties
 operarum industria multiplicata, etiamnum desiderentur: accessere
 postea cosmodromium Gobelini Personae, & chronicon Riddagshusa-
 num: ipse etiam edidit praeterea utilem & necessariam lucubrationem
 historicam, qua erudiretur collegium quoddam iurisperitorum in
 superiori Germania, cum non satis de negotijs edocti, nec omnibus ex-
 plicatis & cognitis, tulisse viderentur sententiam, quae tamen absque
 veritate antegressa historiae, in universum nulla est: sed & alia nobis
 ostendit, quae in memoria nunc non habeo: his etiam diebus iam typis
 expressa, legenda mihi misit, quorum notitia cum primis usum ament
 sacris initiati: multa penes se habet plus etiam, quam inchoata,
 quae publicari quam primum omnes velimus, & familiares flagitant:
 duas autem decades scriptorum, non publicatorum haecenus, prope di-
 em in lucem proferet. Hanc autem ego laudem HENRICO MEIBO-
 MIO patri tuo nemini invidens, optimis ex animo favens, ultro tri-
 buo. Fecit enim plus quam ego in me non suscipiam, nedum persequar:

in illo

in initio conquerere tam varia monumenta magna cura est, majoris le-
 gere, maxima divinare inter legendum, de singulis saepe litteris, ec-
 quaenam, quid sibi denique velint: difficilius atq; laboriosius, confer-
 re inter se omnia, existimare de singulis, repudiare inepta & falsa.
 Inde autem plurimum emergit boni, nempe veritas, quae prima virtu-
 tum historiae est. Certè enim, dum multa deprehenduntur & notan-
 tur falsa, vel verum ipsum apprehendimus, vel quod maximè verissi-
 mile: cujus rei penes prudentem lectorem ut plurimum censura re-
 linquitur. Eam rationem in hoc quoq; monumento secutum video,
 quam velim, ipsum porro, & alios, historiae studio, eo fine incumben-
 tes, sequi. Multum certè accedat lucis veritati historiae, etiam no-
 va lux affulgeat gravissimis deliberationibus. Namq; etiam in iis, qui
 mea aetate res gestas mandavere litteris, non uno loco aberravere:
 neq; de iis loquor, qui vel causis serviendum duxere, vel hominibus:
 hi namq; perperam in historicis censeantur: sed qui cum studerent
 omnia verissimè perscribere, ut sese haberent, ipsi rei omnibus satisfa-
 cere non potuerunt, etiam in perpetua accuratissima investigatione,
 sive in Italia, sive in Gallia, sive in Germania, sive in Belgio, aut ubi-
 cunq; in orbe nostro scripserint: sive enim ego certos, sive unum notem
 atq; alterum. Quod autem neque minuta negligit, quae fortè conte-
 mnant aliqui, idem quoq; in laude scribendi prudentia pono, à doctis-
 simo quoq; Romanorum Varrone frequentatum singulari studio: minu-
 tias dictionum haud negligendas ratus. Originibus enim perspectis,
 res etiam ipsae intelliguntur certius. Ego cum praeter ea, quae ante di-
 xi, & hoc consilium proberem, expecto, ut plura ejus generis, & pridem
 caepta, in publicum proferat, quibus illustretur historia, & academia
 Julia. Namq; magna veraq; laus est cujusq; academiarum, si quisq;
 in quo praestat maximè, non interpellato altero, sed collega, ubi queat,
 aliquid opis ferat. Illud qui faciat, quantum potest, symbolam ad
 tranquillitatem vitae hominum, veluti ad epulum maxima panegyre-
 es, debitam confert. Hoc pro argumento habeam doctrinae & virtutis
 eximia, & perpetuae concordiae inter academias: cujus etiam sententia

esse universos collegas minimè dubito: hanc etiam ad te epistolam, libenter leget pater tuus, meæ in te benevolentia certo indicio: potius ut tibi de initio sapientia & virtutis spatio gratuler, quam ut te cohorter; etsi quoq; equo currenti aliquando calcaria addimus: timidior interdum ipse sum, qui perperam currentes teneam, interdum lentior, illis volantibus frenum iniiciens. Cum autem, JOAN. HENRICE MEIBOMI, Græcas & Latinas litteras ab adolescentia perdidiceris, nulla etiam neglecta parte studij sapientia, ipse te in omnibus confirmabis, quod in promptu habes, & perficies, quod tibi erit perpetuum. Hoc namque nemini nostrum intermittendum, quoad spiritum ducimus. In altero studio nobilissimo & saluti hominum necessario, magistrorum rectissimè audies & tutissimè, & disciplinarum, quæ in vita hominum usum habent, summa atq; lectissima, tantum tribues & diligentia, & temporis, quantis omnino opus est, quod iuveni summi ingenij, & bona valetudine prædito, non usq; adeo erit difficile, quàm necessarium: quorum hoc asseverat ipse magistrorum vestrorum princeps, in operum vestibulo, ubi non dissimulat artem esse longam, ut ipsemet loquitur. Sed neq; hæc ego te doceo, in quibus tibi constes in perpetuum, velim, omni studio sectantem & arētissimè amplexantem porro in omnibus, vera & perfectæ, quoad ejus fieri potest, uti facis à prima adolescentia. E veritate namq; emergunt, sive exoriuntur, & justa & recta & salutaria unicuiq; & generi mortalium: atque hæc est immutabilis æquæquæ, ut à primo summoque patre ab æterno initio sancita est. Vale. Helmstad.

in acad. Jul. IV. Id. Mart.

CLXII

Ca-



CAPVT PRIMVM.
DE IRMINSVLA, IDOLO
Saxonum primo.

IN *Idolis* maiorum nostrorum, quæ
Karolus Francorum rex, nomine & re Magnus,
Saxoniam cum exercitu ingressus, passim in-
venit, princeps fuit IRMENSVLA, sive ut Geor-
gius Fabricius Origin. Saxonicar. lib. 2. & 4.
Irminsum, numen gentis tutelare & commune.

Ab antiquis rerum Germanicarum Scriptoribus voca-
bulum hoc non uno eodemque modo enunciatur. Annales
Francici Euldenses, & diversi ab hjs Adelmo auctore, ad an-
num Christi 772. habent *Irminsul*. Hos sequuntur Ditmarus
Mersburgensis lib. 2. Aimoinus de gestis Francor. lib. 4. cap.
69. Lambertus Schafnaburgensis, Hermannus Contractus,
Conradus Ursbergensis, Ioannes Stadveg in Chron. MS.
omnes ad annum 772.

Modicè variant, Adamus Bremensis, qui in historiâ Ec-
clesiastica lib. 1. cap. 6. primæ editionis *Irminsul* appellat: Al-
bertus Stadenfis, & Caspar Barthius Adversar. l. 4. c. 7. qui
Erminsul: & auctor vitæ Karoli M. à Pithœo editus, qui *Ermen-*
sul: cum quo facit Joannes Trithemius de origine Franco-
rum.

Alij in initio vocis aspirationem habent: ex quibus Re-
gino *Hermansaul*: Sigebertus Gemblacensis *Hormensul*: VVer-
nerus Rolevincius de laudibus antiquæ Saxon. parte 2. cap. 3.
Hermesael: Auctor MS. de vitâ Karoli M. lib. 1. cap. 14. & lib.
3. cap. 8. Lupoldus de Babenberg lib. de zelo veterum Ger-
manor.

manor. Principum cap. 14. & Chronicon Belgicum magnum
Hermensul.

Chronicon Saxonicum vernacula lingua perscriptum,
& Moguntiae anno 1492. excusum, ab omnibus discedens
habet *Armensul*, quam enunciationem, dum etiam hodie
retinent veteris Saxoniae incolae, approbare videntur.

Vocabulum *Irminsul* ex duabus dictionibus composi-
tum esse nemo inficias ibit: de utraque controvertitur. Po-
steriorem nonnulli designare volunt *cippum*, sive *columnam*,
quam Saxones *Sül* sive *Suel*: superiores Germani *Saul*
sive *Seul* appellant, ut *Irminsula* sit idem, quod cippus, sive
columna, *Irmo* sive *Irmino* idolo sustinendo deserviens.

Alij ex *Sül* faciunt *Sal* sive *Saal* quod *aulam* signi-
ficat sive *basilicam*, ut *Irminsala* sit deastri illius aula sive basi-
lica. Hujus sententiae auctor est Aventinus annal. Bojor. lib. 1.
& 4. suffragantur Dresserus millenario 5. Spangenbergius
Chron. Saxon. cap. 73.

C A P V T I I.

De sede & domicilio Irminsulae.

Idoli hujus templum sive basilica (Græci *εἰδωλεῖον* vocant,
Prudentius Apotheosi *Idolium*, quemadmodum & Sulpiti-
us Severus, ut pluribus docet Caspar Barthius Advers. lib.
4. cap. 7.) fuit in veteri Saxoniam, quæ hodie Westphalia.
Non tamen ad ripam *Visurgis* ut Ado Viennensis autumat:
neque ad fontem vel fl. *Lippia*, ut Ernestus Brotufius Hist.
Anhald. lib. 1. cap. 14. Marcus VVagnerus in vita Karoli M.
& Ioan. Lampadius in Mellificio Histor. opinantur: nec et-
iam ad *Ruram* fl. ut Letznerus in Hist. Karoli M. cap. 21. adfir-
mat: nec ad arcem *Driburgum* dioecesis Paderbornensis, ut
vult Tilemannus Frisius Speculo de Monetis lib. 3. cap. 1. & 8.
Sed in ripa *Dimele* fl.

Locum

Locum istum Annales Francici, Leo Papa Romanus in bulla, quam suo loco exhibemus, Aimoinus, Herm. Contractus, Auctor vitæ Karoli à Pithoco editus, Poëta anonymus à Reineccio evulgatus, Alb. Stadenfis, Henricus de Hervordia, Ioan. Trithemius, Paulus Æmylius lib. II. & alij, *Eresburg* appellant: Gobelinus Cosmodromio ætate 6. cap. 38. Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. Munsterus Cosmogr. lib. 3. cap. 33. scribunt *Eresberg*.

Ægil monachus, scriptor vitæ S. Sturmionis, Abbatis Fuldensis, Widechindus Corbeiensis lib. 2. Regino lib. 2. Sigebertus Gemblacensis ad annum 772. & 941. Auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. 3. cap. 8. & 9. cum aspiratione scribunt *Heresburg*: quos in historiâ Ottonis M. secutus Vrsbergensis, præter causam à Fabritio inscitæ accusatur. Fragmentum Annalium Francicorum editum ab Henrico Canisio habet *Heresberg*.

Orthographiam istam credo ex more ætatis mediæ profluxisse. Nam familiare erat scriptoribus uti aspiratione in initio, in medio & fine. Testis Aventinus annalium lib. 1. in nomenclaturâ operi præfixâ, ubi ejus verba: *H. aspiratio crebrior majoribus nostris. præcipuè superioribus Germanis. Vsi sunt in principio, medio, fine. L. quoq; aspirarunt, & duriuscule è gutture pronunciarunt: Celta ch. esse crediderunt.* Hæc ille. Dabo exempla: Annales Francici Fuldenses ad annum 775. nominant pagum *Liedbechi*: hunc Poëta anonymus vocat *Hliabeki*. Regino ad annum 784. habet *Hoftualos*, qui in vitâ Karoli M. *Ostuali*. Annales Fuldenses & Regino ad fluvium *Obacrum* (intelligunt *Ocrum* nostratam) nominant locum quendam *Horbeim*, qui in vitâ Karoli M. *Oraim*, hodie *Orem* sub præfectura Statemensi: Annales Francici scribunt *VVaharna*: Poëta anonymus *VVarna*. Sed ista obiter.

Io. Aventinus Annal. Bojor. lib. 4. nunc *Harburgium*, nunc *Haroburgium* vocat: Ioannes Beccherer Chronico Turingico imperite *Erichsburgum*, quæ arx est Ducatus Brunsvicensis in districtu Calenbergio: & æque inepte Pomarius in Chron. Magd. *Erißberg*.

Dithmarus Merseburgensis lib. 1. habet *Merseburg*: quem sequuntur Gepidanus cœnobita Sangallensis in Annalibus rerum Alemannicarum, Continuator Reginonis & Rolevincius: qui tamen etiam *Ariburgum* vocat, ex quo Hamelmannus perperam *Arnsburgum* facit. Chronicon Saxonicum vetus habet *Marsburg*. Chronicon Rithmicum ante annos 340. exaratum, scribit *Mersberg*, quæ appellatio hodieque durat, ut dicemus infra.

Est & hæc vox è duabus dictionibus composita: quarum posterior similiter in enunciatione variat. Quidam respicientes ad montem ipsum, scribunt *Eresberg*: alij ab arce, sive propugnaculo monti imposito, quod Germanis à Græca voce *πίρυς*, burgum, fecerunt *Eresburg*, & per aspirationem *Heresburg*.

Gobelinus, loco antea citato, nomen *Eresberg* (eam orthographiam nos deinceps retinebimus) natum vult à religione, quod illuc è totâ gente Saxonica cotidie sacrificandi, oracula petendi, votique solvendi causâ multi confluerent: ut *Eresbergum* idem sit, quod *mons venerationis*, qualis olim in *Silesiâ* fuit *mons Silensis*, à quo tota regio denominata est: eruditi *Sabothum*, vulgus hodie *den Zottenberg* appellat: de quo vide Ditmarum *Merspurgium* lib. 7. & Commentariolum nostrum de Pagis Saxonis.

Idem tamen Gobelinus aliam adfert notionem, ac *Heresbergum* ab *Herâ*, quæ Græcis *Ἥρα*, Latinè *Iuno*, dictum meminit. Cultam autem à priscis Saxonibus *Heram*, persuasumque fuisse vulgo, dæmonium istud, illis diebus, qui inter
festum

festum Nativitatis filij Dei, & diem Epiphaniæ intercedunt, per aërem volitare, siquidem apud gentiles aër Iunoni cessarit: conferre etiam se invocantibus omnium rerum temporalium abundantiam, idem ex relatu seniorum affirmat. Repetit ista Crancius, sed ut auctorem dissimulet, quod ipsi familiare. Meminit etiam Christophorus Encelius in Chronico veteris *Marchia*. Locum ipsum dabimus mox cap. 5.

Merspergi appellationem idem Gobelinus recentiore affirmit, vel *εὐφωνίας* causâ, ad sonum inhonestiorem evitandum introductam: vel quòd Mars bellipotens καὶ ὀπλοχαρῆς, quem Saxones militiam & grave Martis opus cotidie & non infeliciter exercentes, venerentur, sub nomine *Irmi*, vel *Irmini*, significari creditus sit.

Crancius in Saxoniâ loco supra citato, nescio qua de causa, montem *Eresberg* à castro, sive propugnaculo *Mersburg* distinguit. Idem præter rem disputat, an *Mersburgum*, sive *Eresbergum*, fuerit in veteri Saxonia, vel ad *Salam* Thuringiæ fluvium, ubi hodieque urbs Episcopalis *Mersburgum*, (nomen, non à *Mars*o prisco isto Heroë Teutonico: neque à *Meovovigo* Francorum rege: verùm à loco depresso sortita, ut Petrus Albinus habet progymnasmat. historiæ Saxon. pag. 70.) cùm Chronicon Saxonicum vetus disertè rem definiat his verbis: *Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Karolus M. destruxit in Vestvaliâ*. Accusat idem Crancius præter meritum scriptores Gallicos, perturbatè rem explicantes, imò omnia confundentes. Certe annales satis plani, & si quid hîc dubij, ex solo Widechindo monacho tolli potest. Is enim bellum civile, quod Otto M. Cæsar cum fratre *Dancmaro* (Ditmarus lib. 1. vocat *Tammonem*, quod idem esse alibi monuimus) gessit, describens, deque eodem *Eresbergo* loquens, non in *Thuringiâ* sed in *Vestvaliâ* bellatum ostendit. Meminit enim villæ *Stela*, qui locus hodieque superest è regione



Verdena monasterij Imperialis ordinis Benedictini. Meminit
 praesidij *Badilici* Albertus Stadensis ad annum 938. *Bathilici*
 (Rosuita poetria & monialis *Gandersheimensis* in panegyrico
 de gestis Ottonis M. per errorem *Badulinum* nominat) quod
 hodie *Bellick* dicitur, infra Ruden opidum ad *Ruram* fluvium:
 Henricus II. Imp. *currim* vocat in privilegio *Gandershei-*
mensi ad annum 1009. Crancius Saxoniae lib. 3. cap. 15. toto
 coelo errans ex *Badilico* *Bardevvicum* facit, quem errorem non
 errasset, neque *Spangenbergium* & *Buntingum* in eundem
 pertraxisset, si *Reginonem*, vel *Vrspergenssem* inspexisset. In
 hoc propugnaculo captus est *Henricus Rixosus*, Aucupis F. Ot-
 tonis M. Imp. frater germanus, adolescens, ab hoste non
 principis, sed mancipij more tractatus. Praeterea scribit
Widechindus, & ex eo repetit *Gobelinus*, *Dancmarum* perdu-
 ellem caesum esse *Eresbergi* in templo *San. Petri*, olim a *Leo-*
ne Papa ejus nominis III. consecrato. De consecratione
 templi & in veteri quidem Saxoniam prolixè rem totam nar-
 rat *Henricus de Hervordia* ad annum *Karoli M. 4. Christi*
805. Item perlatum est, inquit, *ad Imperatorem, Sanguinem Domi-*
ni in Mantua civitate fuisse repertum: misitq; ad Papam, ut hujus
rei veritatem perquireret. Qui naeta occasione exeundi, primo in
Lombardiam, quasi pro dicta inquisitione progressus est, indeq; subito
arrepto itinere ad Imperatorem venit ad Karisiam, villam juxta Re-
mis, & Natale Domini secum celebravit. Deinde Aquisgranum
Papam Imperator perduxit, & post in Saxoniam antiquam, ibi Capel-
lam in Bergkerken prope Mindam consecravit. Campanula quae-
dam, quam reliquit, etiam nunc viderur ibidem. Capellam etiam S.
Betri in Eresberg, quae nunc Mersberg dicitur, consecravit. Reli-
quit etiam Leo privilegium loco consecrato, sed id infra cap.
5. dabimus. Nullibi etiam legitur, Leonem Papam ad Salam
Thuringicum penetrasse. Padibornae autem eum Karolo fu-
isse scribunt Annales Fuldenses ad annum 799. Repetunt
 Auctor

Auctor vitæ Karoli M. à Pithoeo editus, Regino lib. 2. & Marianus Scotus: nec retinet Crancius Metrop. lib. 1. cap. 2. Quas vero præterea ecclesias in Saxonia consecrarit Leo Pontifex, commemorat Theodoricus Niemius, primo Verdensis ad Alarim, deinde Cameracensis ad Scaldim in Belgio // Episcopus, lib. de Iure & privilegijs Imperij: & post eum Rolevincius Saxoniae antiquæ parte 2. cap. 9. in quibus ille expresse templum in monte Martis inculcat, quod hic præterit. Neque loco hoc scrupulum injicere cuiquam debet, quod *Mersburgum ad Salam* fluvium habuerit templum Sancto Petro consecratum, ei que adjunctum Collegium monachorum familiae Benedictinæ, quod idem de castro *Eresbergo* scribitur. Nam *Salanum* illud cœnobium longe post, tempore nimirum Henrici IV anno 1091. ab eisdem loci Episcopo *VVernero* fundatum, & ab *Adelgoro* archiantistite Magdeburgio, filio *VVernerii Volthemij*, ex *Gisela*, *VViperti Balsamie* & *Gaterslebij Dynastæ* sobole, consecratum est, referente Ernesto Brotusio Chron. Merseb. lib. 2. cap. 17. & Casp. Bruschio in descript. Salæ fl. MS. Sed de Eresbergenfis templi inauguratione nos infra plura. // *Magdeb.*

CAPVT III.

Fani Eresbergenfis & Irminsulæ descriptio.

IN *Eresbergo* (quod Annales Fuldenses, Regino, Aimoinus, Gobelinus & alij *castrum*: Poëta ἀνάκτορος, auctor vitæ Karoli, Ægilin vita S. Sturmionis, *castellum*: Widechindus & Ditmarus *urbem*, Auctor vitæ Karoli M. manuscriptus *civitate*, nominant) fuit fanum, sive delubrum, religione augustum, magnitudine ingens, structurâ operosum, splendore magnificentum, divitijs inclytum. Rolevincius de eo sic: *Multa*

dicuntur de fortitudine istius loci, deq. structurâ & columnarum pulcritudine, atq. decore illius fani.

In ipso templo columnæ marmoreæ impositum erat

——— *Simulacrum, quod vocitabant*

Irminsul, cujus factura, simulq. columna

Non operis parvi fuerat, parviq. decoris.

ut Poëta in vitâ Karoli.

Hoc simulacrum sive idolum ita describit Crancius Saxon. lib. 2. cap. 9. *Erat armati toto corpore effigies, cuius in dexterâ signum militare (nostri vexillum vocant) præferens rosam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem, facile huc illuc inclinantem: pectus inerme ursum præferebat, interritum bellatorum animum insinuans. In clypeo leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat: floribus consito campo in quo stabat, quod nihil iucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere. Repetit Munsterus totidem verbis Cosmograph. lib. 3. cap. 433.*

Georgius Fabricius Originum Saxon. lib. 6. brevius his verbis depingit: *Imago statua erat vir armis terribilis, & gladio accinctus: in galeâ stabat gallus loco conii: in thorace expressus ursus: in clypeo leo. Manu dextera ferebat vexillum, cum insigni rose rubæ: in sinistra lancem æquilibrem, quæ item in clypeo spectabatur.*

Idem Originum lib. 2. hanc habet descriptionem: *In eâ statuâ hominis armati imago erat, cuius galeæ gallus insidebat: thoraci insculptus ursus: clypeo de humeris dependenti leo: dextera vexillum venebat cum insigni rose agrestis, sinistra lancem æqualem. Hæc tam Crancius, quam Fabricius, ex Chronico veteri Saxonico Moguntiaë exculo, ubi tamen tum descriptio, tum explicatio prolixior.*

Wer-

Vernerus Rolevincius antiquæ Saxonix parte 2. c. 3. sic depingit: *Erant in statuâ Hermensuel quatuor imagines, scilicet, Martis, Mercurij, Herculis & Apollinis, sed tamen à Marte tanquam principaliore denominabatur locus. Hoc erat vastissimum Idolum totius Saxonix.*

Adamus Bremensis historix ecclesiasticæ lib. 1. cap. 6. scribit simpliciter, fuisse *truncum ligni non parvæ magnitudinis erectum in altum sub divo*. Quæ verba repetit Vrsbergensis paginâ 193. & ex eo Ioannes Boëmus Aubanus de moribus gentium lib. 3. cap. 13. Beatus Rhenanus rerum German. lib. 2. *columnam ligneam sub divo positam* appellat: Hulder. Mutius lib. 12. *ingentis magnitudinis arboris truncum in aperto campo erectum*. Et sane apud priscos Deorum effigies non affabre semper tornatas & expolitas, vel ex Lucano liquet Pharsal. lib. 3.

— — — *Simulachraque mæsta Deorum*

Arte carent, casisq; extant informia truncis.

Sed de idolo Eresbergensi Chronicum Saxonicum vetus addit, idoli effigiem in reliquis etiam Saxonum templis depingi solitam.

C A P V T IIII.

De sacerdotibus ejus loci, & sacrorum more.

Quæ apud Eresbergum sacrorum fuerit religio, qui ritus, quæ ceremoniæ, propter supinam turpemque mediæ ætatis scriptorum negligentiam, qui (ut doctissimus vir Ioachimus Camerarius commentario ad Chronolog. Nicephori præclare scribit) *quasi posteritum presentes essent, atque omnes, æque ut ipsi, quæ exponerent, explorata haberent, ita nihil explicatè, nihil distinctè retulerunt, pauca admodum commemorare licebit*. Hoc enim, partim ex incolarum quasi per manus traditis relatio.

relationibus, partim ex veterum schedarum fragmentis solummodo constat, sacerdotes utriusque sexus magno numero templo adfuisse: ex quibus foeminae sortibus divinatorijs ad oracula excudenda, abdita atque abstrusa eruenda, susceptorumque negotiorum exitus praenosceudos: viri sacrificijs hostijsque offerendis vacabant. Sed nec hi à politicis negocijs abstinebant, imo se illis maximè ingerebant, quod tamen, nec principes ipsi, neque populus agrè ferebat: cum persuasum haberent, quicquid agerent, tanquam supremi numinis ministri & hierophantæ, id nunquam felici secundoque eventu cariturum. Erat tum temporis Saxonia omnis divisa in *pagos*, incolæ *Gowen* nuncupabant: pagi vetò singuli suos habebant præfides, quos *Gowgraven* / hoc est districtus istius iudices dicebant: hi omnes à sacerdotum Eresbergianorum collegio consuetudine inveteratâ constituebantur. Similiter mystæ illi designabant iudices agrarios, qui annuatim statis diebus iudicia rusticana sub dio exercentes, controversias inter agricolas de nemoribus, agris, pascuis, hortis, fontibus, rivisque decidebant. Iudicia autem illa vocabantur *Godinck*, quasi *Gowdinck*. Woldemarus Marchio Brandeburgensis, Landesbergius & Lufatiensis in literis anni 1310. *Ut videlicet cives, qui in villa VVobeker resident, à conventu populi in Scheningo, quod vulgo dicitur Godinck, pariter & iudicijs liberi penitus sint & soluti.* *Dinck* enim, sive *Tinck* veteribus Saxonibus erat iudicium. Hinc *Laudinck* / *Holdinck* / *Grewedinck* Wichmannus Archiepiscopus Magdeburgensis in literis ad annum 1191. *in placito, quod Laudinck vocatur.* Balduinus de Wenden miles ad annum 1315. *In iudicio quod Grewedinck dicitur Ludgerus de Garsenbüttel miles ad annum 1332. In iudicio quod Holdinck dicitur.* Satis & hoc constat, istum iudicandi morem in *cis Veserana Saxoniâ*, & cum primis istis in locis, ubi postea dynastiæ *Göttinga, Northemia, Catelnburgia Lutterbergia*

Bergia florere, frequentatum: horumque tractuum iudices rusticanos auctoritatem suam à collegio Eresbergensi accepisse. Erant autem, ut rem persequamur, huiusmodi iudices certo loco sedecim, omnes honestis nati familijs, vitæque & famæ inculpatæ. Qui natus maximus inter collegas, *Gravius*, (Paulo Diacono lib. 5. cap. 36. atque alijs *Gravio*) quasi primarius iudex; minimus *Frono*, id est, minister; reliqui *Freyerichyer*/ hoc est, liberi iudices, indigitabantur. Huiusmodi collegium iurisdictionem habebat in familias septuaginta duas, & simul in singularum fundos & possessiones, eamque quoties opus exercebant. Singulis annis bis, mensibus nimirum Aprili & Octobri, tam iudex primarius, quam minister, quos diximus, Eresbergum ibant, ibique duos cereos & numos novem offerebant, eo fini, ut numine tutelari placato uterentur, rerumque suarum successu secundiore gauderent. Si quis ex sedecim-viris illis isto anno vivis excessisset, id collegio sacerdotum indicabant, aliumque substitui rogabant. Is ex septuaginta duobus istis familijs, in quas iurisdictionem habebant prædicti, à sacerdotibus Eresbergensibus eligebatur, sic tamen, ut legati in consilium adhiberentur. Qui domum reversi, adjunctis sibi ex collegio alijs duobus, sub dio ante ædes designati septies sonorâ voce electionem novi iudicis populo denunciabant: & hæc erat eius inauguratio. Iidem sacerdotes, quoties præliandum erat, statuam sui de astri columnæ detractam in aciem ferre, & à pugna captivos, quique ex suis segniter rem gessissent, victos verberatosque pœnis atque etiam ultimo supplicio afficere & mactare solebant. In universum enim apud Germanos olim nostros non erat regibus, ut Tacitus ait lib. de Mor. Germ. cap. 7. *infinita aut libera potestas. — neque animadvertere, neque vincire, neque verberare nisi Sacerdotibus permissum.* Et ante Tacitum Strabo de Celtarum sacerdotibus foeminis dixerat,

D

eas per

eas per castra captivis occurrere strictis gladijs, & ad craterem aeneum trahere, & in sublime elevatis guttur incidere, atq; ex sanguine postmodum vaticinari. Meminit etiam hujus rei vetus cantilena, in qua regis cujusdam Saxonici filius propter infelix praelium sacerdoti se mactandum tradi miserabilibus conqueritur modis:

Sol ich nun in Gottes Fronen Hende/
 In meinen aller besten Tagen/
 Geben werden vnd sterben so elende/
 Das muß ich wol höchlich klagen.
 Wen mir das Glücke füget hette/
 Des Streites einen guten Ende/
 Dorffte ich nicht leisten diese wette/
 Neben mit Blut die hire wende.

Hic notandæ locutiones & verba hodie rara vel desita. *Fronen* ministrum denotat, quod jam diximus. *Gottes Fronen* est minister Dei, sive sacerdos, in cujus manus se mactandus incidisse queritur. *Wette leisten* antiquis Saxonibus erat satisfacere pro delicto: luere supplicium culpæ debitum. Vnde hodie iudices rerum criminalium pronunciant, *Er ist dem Keyser eine Wette schuldig.* At *Hire* majoribus nostris idem quod sacrum, sine dubio ab *ἱερός* Græco. In epitaphio Henrici ultimi Comitis Wernigerodensis,

Do was de Hire sūntē Erasmi vire.

hoc est, Erant tum feriæ divo Erasmo sacræ. Postremò sunt, qui scribant, antiquos Saxones, & cum primis militares homines, certis iisdemque solemnibus & festivis diebus, armis indutos, aut etiam cataphraetos, gladijsque accinctos, dextra verò cæstus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum patrium obequitare, interdum equis descendentes in genua procumbere, cernuos preces suas demurmurare, opemq; hoc modo præsentem, & in bello secundam fortunam efflagitare solitos.

solitos. Quæ res frequentata abiit in consuetudinem, ut etiam ex locis procul distitis peregrini subinde advenirent auxilium petitum, devotionem suam numini tutelari anathematis strenisque ostendentes.

CAPUT V.

Quem Deum Irminsula repræsentavit, & cuius memoriæ sit erecta.

Cujus honori, vel memoriæ Irminsula erecta sit, aut quemnam ex veteribus Deastrum retulerit,

Historici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Adamus Bremensis *Irminsulam* Saxonibus patriâ linguâ idem esse vult, quod Latinis *universalis columna quasi sustinens omnia* Repetit totidem verbis Vrsbergensis pagina 193. Ad illam sententiam alludit Crancius in Saxoniam loco sæpedito: *Irminsul interpretantur nonnulli statuam publicam: Conijci permittitur dictam Idermansuel, quasi commune profugium & asylum omnium, & Martem communem, qui in prælio diu vagatur incertus, diu dubius, quò ponat victoriam.* Hæc Crancius, cuius sententiæ subscribit Antonius Corvinus Theologus, & auctor notarum ad Conradum Vrspergensem paginâ 172: meminit Sebastianus Munsterus lib. 3. Cosmographiæ cap. 433. Huldricus Mutius lib. 12. Quòd verò Crancius *Martem communem* vocat, id cum Græcis & Latinis convenit: illi senim appellatione frequenti ægens *νοῦς*: Videatur Cicero Philippicâ II. Livius lib. 7. & 8.

Gobelinus, loco allegato, opinatur Irminsulam fuisse *statuam Mercurij*, quem affirmat à Saxonibus cultum: non tamen cum Romanis *Mercurium*, vel cum Longobardis *Godanum* (à quo vocabulo adhuc hodie Westvalis dies Mercurij *der Godenstag* nominatur) sed *Hermem* vel *Irminum* appellatum fuisse: &

isse: & *Irminfulam* esse idem, quod *statua Hermis*, id est, Mercurij. Huic sententiæ suffragatur Andreas Althamerus commentario ad Cornelij Taciti Germaniam: Martinus Crusius annalium Sueviæ parte 1. lib. 12. cap. 1. Michaël Neander in descriptione orbis terræ parte 1. Ioannes Pappus in historia ecclesiasticâ, Caspar Barthius *Adversar.* lib. 4. cap. 7. Fridericus Lindenbrogius, alias tamen varians. Meminit similiter Munsterus, & Leonardus Crentzheimius in *Chronologia*.

Rolevincius *Merispurgum*, quod vocat, interpretatur *castrum Martis*: cum quo facit Theodoricus Niemius his verbis: *In opido montis Martis, ubi antiqui Saxones Martem pro Deo coluerunt.* Et Franc. Irenicus *Exeges. German.* lib. 12. Huc etiam spectat, quod Rolevincius pro Eresburgo *Arisburgum* scribit, siquidem Mars Græcis ἀρης. Ab hac opinione non abhorret Georgius Fabricius *Origin.* lib. 2. ubi *Iymum Martem* fuisse dicit: alibi tamen ita recedit, ut in principio libri 2. Mercurium intelligat: libro 4. in dubio relinquat, Martemne an Mercurium Irminsula repræsentarit. Gobelinus errorem hîc statuit, ortum ex Widechindo Corbeienfi, qui falsò affirmavit, Martem Græcis dici Hermem vel Hermetem, cum is sit Mercurius, teste Augustino lib. 7. cap. 14. de C. D. & Isidoro *Etymolog.* lib. 8. cap. 11. quos allegat. Idem addit recens esse nomen montis Martis: reclamare, diplomata, privilegia, aliaque instrumenta publica, ab annis quadringentis scripta. Verum quia auctor hic prolixus est & accuratus in descriptione Irminsulæ, integrum locum ex cap. 38. ætatis sextæ adscribam. *Anno regni sui secundo (Karolus) congregato generali Vormatiæ conventu, Saxoniam bello aggredi statuit, eamque sine morâ ingressus, cuncta ferro & igni depopulatus, castrum Eresburg, quod modo mons - Martis dicitur verbis Latinis, cepit, & Idolum, quod à Saxonibus dicebatur Irmenseul, destruxit, & deinde usque ad flumen Weseræ accedens, recepit à Saxonibus obsides 12. & recessit.*
Scien-

Sciendum est de hoc Idolo Irminseul, quod Mercurius apud Græcos Hermes dicitur: & quia Saxones olim sunt de Græcis exorti, ut supra dictum est, hunc Mercurium secundum linguam Græcam, quasi honorabiliori nomine Hermin seu Irmyn nominabant: quamvis idem Mercurius vulgò Godan, quasi bonum faciens (juxta quod lingua Latinâ ipse quoque Stilbon, quasi stillans bona dicitur) seu mutata literâ Wodan, apud incolas regionis illius, quam Saxones occupabant, dicebatur. Unde dies Mercurij apud eos Godenstag/ prout superius dictum est, nominabatur. Unde legitur in gestis Longobardorum, quod Longobardi, dum adhuc gentiles erant, Godan Deum, quem Romani Mercurium appellabant, speciali veneratione colebant, ex eo, quod operâ ejus primum bellum, quando de sedibus suis egressi fuerant, quas sub nomine Romulorum primò possidebant, contra Vandalos feliciter egerunt, & nomen Longobardorum sibi ab eo inditum crediderunt. Cumque postea de Pannoniâ versus Italiam intendebant proficisci, Saxones, tanquam speciales amicos & fortes bellatores, sibi subsidium, seu verius in consortium, per legatos venire postulabant. Qui ad eos cum magno exercitu venientes, similiter cum eis Italiam invaserunt. Unde Saxones adhuc pagani ejusdem religionis cum Longobardis fuisse videntur, & Deum illum, cujus opes Longobardorum prosperari credebantur, speciali cultu venerabantur: quamvis fortè ante illa tempora speciali cultu ipsum Mercurium venerari soliti erant, ex eo, quod Mercurius Deus sermonum dicebatur, & Græca lingua inter alias linguas clarior existit. Et hoc maximè videtur ex eo, quod hunc Deum, non Mercuriam, sicut Romani, nec Godan, sicut Longobardi, sed Hermem, quod proprium ejus nomen fuerat, antequam pro Deo habitus fuerat, sicut Græci nominabant. Huic Deo consecratum erat idolum, seu simulacrum, in loco prædicto quod Irminseul, id est, statua Hermis dicebatur. Et quod in loco prædicto concursus pro sacrificijs, ipsi idolo faciendis, ex omni regione fiebat, à veneratione locus ille Cresberg/ id est, mons venerationis dictus est. Vel fortè Iuno, quæ apud Græcos Hera dicebatur, aut equam Hermes in eodem loco, vel forsân simul cum eo colebatur, in-

de locus dictus est *Eresberg* / id est, mons *Hera*, videlicet *Iunonis*. Quod autem *Hera* colebatur à *Saxonibus*, videtur ex eo, quod adhuc quidam vulgares recitant, se audivisse ab antiquis, prout & ego audiui, quod inter festum *Nativitatis Christi*, & festum *Epiphania Domini* domina *Hera* volat per aëra - quoniam apud *Gentiles* *Iunoni* aër deputabatur: Et quod *Iuno* quandoque *Hera* appellatur & depingebatur cum tintinnabulis & alis, dicebant vulgares prædicto tempore, *Browe Here!* seu corrupto nomine *Bro Here de vluget!* & credebant illam sibi conferre rerum temporalium abundantiam. Ab hac *Herâ* tractum est nomen *Heroum* apud *Græcos* antiquitus. Vnde anima defunctorum, qui apud eos alicuius meriti aestimabantur, apud ipsos *Heroës*, quasi cum *Herâ*, id est, in aëre habitantes, dicebantur, ut testatur *Augustinus* lib. 10. de civitate Dei, cap. 21. Sed quæcunque ex causâ prædictarum locus prædictus nominatus sit, constat ex historicis, de partibus istis specialiter tractantibus, & alijs *Chronicis*, quod iste locus prius *Heresberg* nominatus erat: sed postea vagâ quorundam curiositate mutatum est, ut dicatur mons *Martis*, quod mihi videtur sic exortum. Postquam multa loca in partibus istis sub cultu veri Dei sub fide Christiana consecrata sunt, nomen venerationis ab usu desuevit, sicut & nomen *Hermis* & *Hera*. Et quia *Mars* apud *Gentiles* Deus belli dicebatur, & *Saxones* bellorum feritate multas gentes excellebant, credebant quidam *Martem* fuisse illum Deum *Irmin*, quem *Saxones* in loco prædicto coluerunt, nescientes hæc nomina *Mercurius* & *Hermes* eundem significare, prædictum locum quasi præ ceteris curiositate quadam excellere videri cupientes, montem *Martis* nominaverunt, credentes hoc cum vulgari linguâ, quâ dicitur *Mersberg!* concordare. Sed isti videntur decepti ex eo, quod syncopationes & abbreviationes litterarum & syllabarum multe sunt in vulgari, propter quas origo dictionum non advertitur, nec intellectus earum primitivus habetur. Vnde si hæc oratio Latina: vado ad montem venerationis, transfertur ad linguam vulgarem, dicitur, *Ich gha tho dem Eresberge*. Vnde tandem usus inolevit,

levit, quòd causâ prolationis celerioris dicebatur, *Yct gha tho dem Mersberge*. Nam si diceretur, *tho dem Cresberge / turpiter sonaret illa syncopatio, nam sonaret dicere ad montem culi.* Quare hæc litera *M* præponitur huic dictioni *Cresberg*. Et inde supradicti accipientes occasionem dixerunt montem *Martis*. Sed non reperiuntur libri antiqui, nec privilegia, nec litera alia, quæ habeant quadringentos annos, ubi reperitur hoc nomen *mons Martis de loco supradicti*. Fuit autem quidam conventualis monasterii *Corbie, Paderbornensis diœcesis, Vitikindus* nomine, tempore *Ottonis primi Imperatoris*, qui scripsit gesta *Saxonum* & præcipuè ejusdem *Ottonis* & suorum genitorum. Hic videtur occasionem dedisse huic vocabulo montis *Martis*, quoniam in libro suo, quem scripsit de prædictis, hunc locum nominat *Heresburge*, & dicit, quòd *Saxones* coluissent *Martem*, quem ex eo, quòd ex *Græcis* fuissent exorti, *Hermem* nominassent, seu vulgari lingua *Irmyn*: quia, ut asserit, *Mars* apud *Græcos* *Hermes* dicitur. Et quòd *Hirmyn* in hoc loco olim colebatur, alij librum prædicti *Vitikindi* forte legentes, credebant hunc locum montem *Martis* ritè nominandum. Sed tam ille, quàm isti convincuntur ex dictis *Augustini lib. 7. cap. 14. de civitate Dei*, & *Isidori lib. 8. cap. 11. Etymol.* qui dicunt, quòd *Mercurius* apud *Græcos* dicitur *Hermes*, & *Mars* apud *Græcos* vocatur *Gradivus*, ut testatur *Isidorus*. Hactenus *Gobelinus*. Vbi ad id, quod *Heram* à *Saxonibus* cultam ait, nota ex *Michaëlis Rupiij Chron. Gandersheimensi MSC. in Episcopatu Paderbornensi* cultum olim idolum *Heremunt* dictum, in loco *Hierauga*, hodie *Hojserschen* / ubi *Beatrix* abbatissa *Gandersheimensis*, filia *Conradi Salici Aug.* circa annum 1040. monasterium fundavit.

Ioannes Aventinus, non *Romano*, neque *Græco* indiget, sed *domestico* & *Germano* *Irmisulam* sacram fuisse contendit. Verba ejus in *annalibus Boiorum lib. 4.* hæc sunt: *Erat templum Hermionis Saxonibus vetustâ religione augustissimum, quo frequens populus coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulenta*

lenta regum populorumq; visabantur munera, ingens auri argentiq; ibi copia ostendebatur, quae vota reddentium grata voluntas congesterat. Saxones Hermanni-Salam vocabant, id est, aulam sive basilicam Hermanni, Hermionisve. Is fuit quintus Germania magne Imperator, pronepos regis Manni, filij Tuisconis, parentis & auctoris nostri. Ipsum maiores nostri ob bellica facinora in numerum Deorum retulerunt, pro numine & belli praeside haecenus coluerant. Eius fanum Magnus diripit, militibus aurum & argentum, opes Hermioni consecratas, distribuit. Idem Annalium libro I. Sed ad Hermionem redeo: qui ob virtutem in caelum sublatus à suis, cultusque pro Deo. Eius templum ac signum dictum Herman-Sal, hoc est, Hermionis-Sala, id est, aula, Karolus M. solo equavit, & demolitus est. Haecenus Aventinus.

Recentiores Germanicarum rerum scriptores, & in his Georgius Spalatinus, Reinerus Reineccius, Petrus Albinus, Andreas Vellejus Danus, Matthæus Dresserus, Cyriacus Spangenbergius, Christophorus Entzelius, Tilemannus Frius, Ioannes Lampadius, Fridericus Lindenbrogius (qui tamen interdum variat) & alij, existimant *Irminsulam*, sive *Hermensulam*, fuisse signum quoddam in memoriam *Arminii*, seu *Hermanni* celeberrimi illius Germanorum regis & *Cheruscorum* Ducis, qui *Quintilium Varum* anno Christi decimo cecidit, grati animi ergò positum, indeque *Hermansula* sive *Armensula* appellatum. Huic sententiæ suffragatur, quòd praelium illud celeberrimum, quo *Arminius exercitu omnium fortissimo, disciplinâ, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites principe, ad internecionem trucidato* (verba sunt Velleij Paterculi lib. 2.) Romanam servitutem à Germaniâ exterminavit, in veteri Saxoniâ adeoq; intra *Lippia* & *Amesio* fontes ubi hodie Dynastia Comitum Lippiensium, commissum sit.

Ioannes Goropius Becanus in Originibus Antvverpiensibus, sive Cimmeriorum *Becceselanâ* lib. 6. circa finem, it

in o-

in omnia contraria. Refutat enim Crancium, negatque Ir-
 minfulam ad Mercurij, vel alterius Ethnici Dei memoriam
 positam, sed hieroglyphicam esse, ejusque interpretationem
 operosè admodum molitur. Verba etsi longiuscula, tamen
 quia auctor in paucorum manibus, & ut lectori exemplum
 hominis docti, in re neque difficili, neque tanti momenti,
 ociosè argutantis, ostendam, integra hïc subijciam. Porro
 illud minimè negligendum, Dacis cum Saxonibus non originem tan-
 tum & linguam, sed religionem etiam communem fuisse: Vtraque
 enim gens summo honore Mercurium coluit, quem Herman voca-
 bant, quo communis omnium monitor notatur, uti latius in Deorum
 expositione docebo. Tacitus generatim ab omnibus Germanis Mer-
 curium maximè coli tradit; statuas tamen humani oris specie Diis
 non fieri, sed Deorum nominibus secretum illud, quod solà reverentiã
 vident, nuncupari. Lucos igitur & nemora, ut idem refert, con-
 secrant, &, ut ego comperio, integras etiam urbes Deorum nominibus
 appellant. Hinc igitur in Daciã Hermanstat / id est, Hermopolis,
 à Mercurio nomen duxit, præcipua totius regionis urbs: cui in Saxo-
 niã Hermanstal accedere videtur: de quo temporum illorum barba-
 ries nihil certi nobis reliquit, aliis Hermansuel / aliis Hermensal
 scribentibus. Albertus Crancius hanc inscriptionem inventam
 tradit: Dux ego gentis Saxonum victoriam certam pollice-
 or venerantibus. Addit deinde hanc effigiem, ut toto corpore
 armatam dicat, dextrã vexillum militare tenentem, cui rosa intexta,
 sinistra libram. Pectus ei inerme præ se ursum tulisse: in clypeo leo-
 nem fuisse: effigiem totam stetisse in campo floribus luxuriante. Ho-
 rum interpretationem benè frigidam adjecit. Nos totam hanc deli-
 neationem symbolicam esse dicimus, & nulli Deo peculiariter propri-
 am suamve. Alludit quidem nomen ad Herman / sed quæ adici-
 tur cauda, significationis rationem penitus immutat, Hal & Sal, id
 est, conseruo, à quo fit Sal, quasi so Hsal / id est, ad conseruandum.
 Hal autem olim in usu fuisse de opidis ad Salinas positis, & inde no-

men adeptis, licet aestimare. Est Hal inter Suvarzum & Oenipontem ingenti Salis monti ad radices hærens, ubi Sartaginibus ad 20. & amplius pedum diametrum patentibus salis petra salsa aqua permixta, tum ad dulcedinem coquitur, tum ad augmentum. Est & Hal in Saxoniâ eandem nominis rationem habens. Hoc verò tempore Solt & Sout magis est in usu, sicut pro Halt| Haut: pro alt| aut| ferè pronunciamus. Permitterem Græcis & Latinis harum vocum nates, si etymon domi suæ, vel melius, vel par invenire possent: quod cum nequeant, fateantur primogeniam originem nostratibus deberi, qui salem à conservando dici intelligunt. Hinc igitur mox elucescit, cujus rei tesseram & symbolum in sacris ritibus gerat. Christiani pueris, quos baptizaturi sunt, salem in os induunt, sapientia salem ab ipsis accipi jubentes; quo significant conservationem hominis, atque ejus salem in sapientiâ consistere. Precantur igitur hoc suo symbolo, ut Deus sapientiam eis largiatur, cujus supremus apex est, ut Deum sapiant atq; cognoscant, cujus solius intuitu homo conservatur. Hinc Mose Deus præcepit in hanc formam: Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies; nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. In Numeris item Aaron alloquens: pactum salis ei & filijs ejus sempiternum esse dicit Christus verus sal, & vera patris sapientia, Apostolos suos dixit esse salem terræ; eo quòd per eos sapientiam suam mundo largiturus esset, per quam omnes servarentur ad vitam sempiternam. Bene autem salem pacti æterni vocavit, eò quòd illo significaretur sapientia & verbum patris incarnandum, quo homines servandi essent, quod Deus Abrahæ promisit, dum fore dixit, ut semen mulieris conculcasset caput Draconis. Pactum igitur illud & fœdus, quod Deus cum homine, serpentis fraude decepto, sanxit, sale notabatur: eò quòd illo solo, perinde atque sale quodam divinitatis, hominem ab omni corruptione, cui per peccatum obnoxius erat, salvum redditurus esset. Per sapientiam igitur crucis suæ ab interitu nos liberaturus, voluit in omni sacrificio salis hanc tesseram adhiberi, ut intelligere-

tur, non

zur, non è nobis, sed aliunde, ab eo nimirum, cui sacra faciebant, conservationem corporis & animi pendere, atque ab illo solo sapientiam nobis eam infundendam, qua salutem consequi possimus, eamque esse salem fœderis sempiterni. Admiranda mysteria sub exigua recula, & ubique obvia, & nunquam non necessariâ, contineri videmus: qua significantissimè lingua nostra tribus literis expressit, dum salem à conservando per excellentiæ figuram nominavit. Non immerito igitur baptizandis exhibetur, quò hujus fœderis, huiusque sapientiae, per quam solam effugere possumus corruptionem, omnes adstantes, recordentur, & ipsi tandem, cum adulti fuerint, cogitent, se cum illo unitos esse, cuius solius ope salutem obtinere possint. Hinc illud est, quòd pactum conventionemque cum aliquo iniri salem degustare solent, eo innuentes, se quacunque dixerint pepigerintque servaturos esse, non aliter atque si sale essent condita. Ex eodem fonte manat, quòd Salt/ sive Saut/ sive Solt/ uti plerumque ad ambiguitatem vitandam dicimus, pro stipendio ponatur, quo milites obligantur, ut memores sint, se illud accipere, quo firmam incorruptamque fidem servare teneantur, quâ incorruptibili fœdere ducibus suis devincti. Antiquitus tamen, non tam stipendium spectabatur, quàm fœdus sale consignatum: quòd tam sauctum habebatur, ut ij, qui sic inter se convenissent, omnia, quæ ad vitæ sive commoditates: sive pericula pertinerent, communia existimarent. Sed quia raritas per magna eorum esset, qui confœderationem ejusmodi cum principibus inire vellent, cœpit stipendium salis locum implere, ita ut nomen quidem sit conservatum, sed immutata ratio paciscendi. Quâ de re facile est videre, quàm verè Caesar de Soldurijs scripserit, quòd nescio an à quoquam sit hæcenus intellectum. Atque, inquit, in eâ re omnium nostrorum intentis animis, alia ex parte opidi Adcantuanus, qui summam imperij tenebat, cum sexaginta devotis, quos illi Soldurios appellant: quorum hæc est conditio, ut omnibus in vitâ commodis unâ cum his fruantur, quorum se amicitia dediderint, si quid ijs per vim accidat,

aut eundem casum unà ferant aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitia devovisset, mori recusarit. Hunc fœderum amicitiaque incundi ritum plerique omnes parum animadvertentes, mirantur, qui factum sit, ut Caesar ita devotos, Soldurios dixerit Gallis vocari; cum Soldurij illi sint hoc tempore, qui salario conducuntur: quod vox ipsa compositionis suæ ratione aperte declarat. Accepit igitur stipendium militum ab hac antiquâ consuetudine honestissimum nomen; quo commonentur, haud secus se duci obedire debere, ac si salis fœdere devoti fuissent. Crediderim itaque à priscis Cimmericis, apud Romanos etiam nomen salarii ab hac origine fluxisse; ac tandem corruptis hominum moribus, & amicitia & sincerâ fide exsulantibus cœpisse proverbio jaçtari; nemini fide n- dum, nisi cum quo modium salis absumeris: quasi diceretur, nulla pãcta, nulla fœdera satis firma esse, quamvis sale sint sancita: neque enim parum salis sufficere, sed integrum modium cum eo prius eden- dum, cui fidem sit adhibiturus. Quod proverbium, quia Grecis et- iam usitatum est, antiquum esse reor, & ab illâ, quam dixi, priscâ consuetudine deductum: ad quam dum refertur, non paullo plus salis mihi continere videtur, quam dum simpliciter intelligitur de tempo- ris diuturnitate. Hæc ergo salis significatio, cum apud omnes, tum maximè apud Cimmericorum culenos, sacrosancta semper habita est, adeo ut hætenus, dum quippiam ratum esse volumus, aut in societa- tem quampiam cooptari, salem edamus, quasi eo omnia salva fiant atque confirmentur. Quamobrem salem in mensâ casu everti ac dissipari, inauspicatum habetur: eò quòd portendere videatur, eor- um qui adsunt amicitiam & fidem non diu constaturam: quam rati- onem non opinor à multis hætenus observatam fuisse. Quia enim Sal à conservando dicitur, nec potest homo citra hanc cum alijs conjun- ctio-rem vitam tueri, voluerunt prisci amicitia fœderumque salem symbolum habere. Hermansal igitur ad verbum publicum com- muneque virorum salem nobis significans, quid aliud sibi vult, quam

quàm in fidâ societate hominum inter ipsos omnem & communis
 & singulorum consistere salutem? Et quia ad hanc firmam civium
 unionem magnâ opus est prudentiâ, sit ut sal alterum rursus significa-
 tum habeat, apprimè ad civitatem gubernandam conservandamque
 necessarium. Quâ enim re magis opus est ad publicam salutem,
 quàm sapientiâ? cuius officium est omnia disponere & ordinare,
 quàm sale quoque notari ostendi. Effigies igitur hæc hieroglyphica
 diligenter omnibus intuenda erat, quando nomine suo se publicam
 conservationem continere profitebatur. Quia ergo tota armata erat,
 ostendebat nullam pacem, nullam tranquillitatem tantam esse, quin
 semper arma sint in promptu habenda: & eam civitatem felicem cen-
 seri, quæ nunquam curam armorum deponat, sed semper ad defensi-
 onem sit parata, sive pax sit, sive bellum. Pectus in cruce erat, quo
 animus imperterritus indicatur; quod ursum præferens notabat, eo
 nos animo esse debere, ut non solum sævi contra hostes, sed astuti et-
 iam essemus; quod ursi contra tauros pugnatu-
 ri supini jaceant, ac eorum dum trudere nituntur, cornua apprehendant, atque ita vali-
 dam belluam prosternant. Deinde ut ursi sunt sævissimi contra ho-
 stes, ita catulos suos mirum in modum amant, & quod imperfectum
 in eis est, dum in lucem veniunt, lambendo & fovendo corrigunt:
 quod item civibus, tum omnibus, tum maximè optimatibus imitan-
 dum, ut sævitiam contra hostes, amorem erga suos, & omnem iu-
 vandi diligentiam exhibeant. Multa sunt, quæ in hac ferâ symbo-
 licòs considerari possunt, sed nihil æquè atque hæc duo; amor erga ca-
 tulas, & sævitia erga hostes, quam ingenio & solertiâ juvant. Non
 est tamen etiam illud negligendum, quod pectori potius, quàm capiti
 ursum additum videamus; quo monemur, virorum fortium esse, pe-
 ctore, non ore sævire. In urso enim horrida illa & continua, dum
 irascuntur, vociferatio, quam sævitiam propriè nominandam qui-
 dam arbitrantur, homines magnanimos minimè decet; sed contra os
 comprimere, & pectore imperterrito in hostem ferri, sic tamen ne
 ursine astutiæ immemores simus. Clypeus leonem habebat signum

maximi & regij animi: quod apertius est, quàm ut multis sit explicandum. Hasta cum vexillo, quod multis fasciis sive tenis constat, ostendit cives omnes unanimes & colligatos esse debere, & hosti ostentare; hastam se habere ad pugnandum, & vitras hasta allegatas: quibus significant, se homines esse ad sanctam amicitiam & firmam fœdera incunda, si injuriis supersedeatur, & si quid damni acceptum, id resarciatur. Sed de vexillo militari Cimbrorum in Brabantia nomine plura memini dixisse. Quod autem dixi de amicitia incunda, id clarior rosa, quæ in vexillo erat signata, indicabat, quæ quia Veneri sacra est, ad amorem invitatur. Neque enim cum ullâ gente sic bellage-renda, ut nullus aditus ad pacem detur, imò contrâ virorum fortium est, omnes, quoad ejus fieri potest, ad æquabilem amicamque societatem vocare, nec aliâ de causâ bella geruntur, quàm ut amoris & pacis vincula inter homines redintegrentur. De rosâ in Antverpianis insignibus locus erit amplius disputandi: hic satis esto, Venerum hunc florem pacem amoremque notare, quibus totius hominum universitatis venustas continetur. Sinistrâ lancem tenebat, clarissimum justitiæ indicium, quâ opus est, non solum ad pœnas malorum, & bonorum præmia in civitate dispensanda, sed ad omnem etiam rerum permutationem, tum inter cives, tum inter hos, & externos omnes. Ad hanc conservandam, arma totius corporis, & hasta, quam in dextrâ tenet, magno animo sunt conferenda: quoniam citra illam nulla Respublica pacem tranquillitatemque possit tueri. Bene itaque militaris labor dextrâ parte, unde motionis est principium, significatur: sinistrâ verò, in quâ quietis sedes, ad quam motio tendit, justitiæ resseram præfert; propterea, quòd omnes conatus, omne studium, omnes bellorum motus, ad justitiam & æquitatem, tanquam ad finem suum, tendere oporteat. Porro nota hæc imago in campo omni florum genere ridente posita cernebatur: quo non aliud denotabatur, quàm eam civitatem, eam regionem florere, in quâ diligenter omnia symbolis his indicata observantur. Non indigna sanè effigies Sagarum sobole: quam equidem vellem, non à Saxonibus tantum, sed ab

sed ab omnibus Christianis accuratè considerari, quò intelligerent, omnem bellicum apparatus, ad justitiam, non ad tyrannidem referendum: & tum demum, cum justitia & aequitas inter Principes & subditos servabitur, Rempublicam Christianam florere posse. *Hera mansal* igitur dicitur ab *Her*/ quod commune & publicum significare, alibi quoque docui: & *Man* voce notà & *Hal*/ quo id significatur, quod conservat. Hinc *Antverpia Hal*/ quævis domus vocatur, in quâ merces plurimorum conserventur. Hinc *Hal* & *Sal*/ pro *Sale* quòd eo carnes & alia hominis alimentum conserventur. *Hera mansal* ergo est communis virorum conservator, vel communis hominum *Sal*: quia hac hieroglyphicâ figurâ ea monebantur, quæ ad publicam civium salutem erant necessaria, quæ de ritu prisco loco *Hermæ* posita, tandem in vesanam superstitionem est conversa: uti in aliis quibusdam hieroglyphicis videmus evenisse, quæ ad commonendum duntaxat confictæ, ab imperitis hominibus, vel avidis lucri impostoribus, ad falsam & impiam religionem sunt detorta. Neque igitur *Mars* est, neque *Mercurius*, sed *Idolum*, vel ex errore, vel ex imposturâ natum, dum majorum hieroglyphica monita, aut non intelliguntur, aut fraude sacrilegiorum lucrionum, ut digno nomine pseudierophantas appellem, in fœdam & anilem superstitionem trahuntur. *Crancius Gallos* accusat, quòd Germanicæ linguæ imperitiâ dictionem hanc ita perturbarint, ut à se non intelligatur. Addit tamen, esse, qui statuam publicam interpretentur, atque hinc conyicit. *Ideus mansuel*/ dicendum, quo clarè demonstrat, se lingua sua nihilo Gallis, quos accusat, esse peritiozem. Ignorat enim *Her*/ publicum communemque significare: & hinc exercitum *Her* dici, & publicam viam *Her-ban*/ & ducem communitatis *Herzog*: & communem in domo ad ignem locum *Her*/ & *Heralt* & *Herman* & *Heer*/ & *Herculem* & *Heram* ab eodem derivari ut alibi dicitur. Putavit itaque *Hermæ*, & aliorum Deorum nomina Saxones à Romanis tempore *Drusi* didicisse, quasi antè sine Diis, & eorum nominibus fuissent. Nos contra demonstrabimus, Romanos à *Cimmerijs*, Saxo-

num

num parentibus, nomina Deorum habere, neque domi suae ullam sanam interpretationem invenire. Ridiculus est etiam Munsterus, qui opida, quibus à Salinis Hal nomen est, credit à Græcis id emendicasse: scilicet Saxones, Suevi, & Oeni in Alpibus accolæ, Græcos consulerunt, quæ opida essent à Salinis nominanda. Interrogantur potius Græci, quæ ratione ἅλα pro sale dicant, & quicquam adducant, quod tam solidum tinniat, quàm etymologia, quæ conservandi vim nostratibus expressit. In lingua Cimbrica sive primæ artificio in postulatis sive atematis mihi sumo, quando eadem vox in diversis linguis reperitur, eam illius esse propriam & germanam, in quâ ratio rei significatæ naturam optimè explicans invenitur. Hal igitur nostras est, nec Salmagis Romanorum, quàm Hal Græcorum, cum apud nos Romanos, natura salis & ejus usus hac voce clarè exprimatur. Agnoscant igitur Saxones nunc tandem Salem suum, quo majores communem omnium salutem putarunt contineri: non aliter atque Christiani, inspectâ Christophori imagine, conservationem per eam diem sibi pollicentur: nec id falsò, si quæ significantur, ea diligenter, & animo revolvant, & opere præstent. Sive verò publicum hominum conservatorcm, sive publicum hominum salem, cum utrunque possis, inter preteris, nihil refert, nisi quòd symboli naturam magis sapiat, si posterius sequaris, atque ab eo ad prius collectione pergas. Hactenus Goropius, qui an acurem tetigerit, aliorum esto judicium: certè ejus originationes, vel ipso Lipsio judicante, Cent. Epist. ad Belgas 3. ep. 44. risum non oppositionem merentur, & sæpe sine indignatiuncula, vel risu, legi non possunt. De fide vero ejus historica lege Suffridum Petrum lib. 1. de Frisior. orig. pag. 96. & 97.

CAPUT VI.

De nomine Irmin & ab eo compositis.

Quæcunque tandem origo sit nominis Irminsula, hoc constat, vocabulum Irmin priscis Germanis usitatissimum

num fuisse, eoque tam viros quam foeminas appellatas. *Irmino* abbas additur testis ultimæ voluntati Karoli M. apud Eginardum: & *Irmina* filia Dagoberti regis Francorum refertur à Casparo Bruschio historiâ monasterior. pag. 76. & apud Trithemium Chronico Sponheimensi ad annum 1152. Composita ab hoc vocabulo (mirificè enim istis majores nostri delectati sunt) reperias perquam multa: nos pauca hîc attingemus. *Irminburc, Irminfrid, Irmingard, Irmingarus, Irminger, Irmingund, Irminheid, Irminbild, Irminholt, Irminhulf, Irminrabe, Irminric, Irminsind, Irmintrud, Irminvuar, Irminvvic, &c.* Quæ eadem alij in initio cum aspiratione scribunt, ut *Hirminvvic, Hirminsind, Hirmintrud.* Alij omisâ aspiratione pro litera I usurpant E in initio harum vocum, ut: *Ermingaudus, Ermenfredus, Ermenholfus, Ermenmarus, Ermenradus, Ermenricus, Ermensind, &c.*

CAPUT VII.

De Irminsulæ destructione.

HAËTENUS habuimus descriptionem & Etymon Irminsulæ, restat de ejus destructione aliquid subijciamus. Incidit illa in annum Christi, 772. qui est primus belli Saxonici in Comitibus *Vormaciensibus* decreti, & à Karolo M. feliciter auspicatoque suscepti. Erat ille tum temporis annorum circiter triginta. Initia belli fuere secunda, Eresbergo propugnaculo firmissimo primo impetu expugnato. Ab occupatione præsidij itum ad demolitionem fani, inveteratæque superstitionis maturum excidium. Sapienter in hoc Karolus: ostendit enim Saxonibus, inanem fuisse fiduciam, quam habuissent in tutelâ & patrocínio deastrî imbellis, cujus impunè triumphati cadaver, & deformia rudera miserè ante oculos disjecta dissipataque jacerent. Deinde sublato veteris *Idolomania* fomite & incitamento, ad sincerioris religionis pro-

nis propagationem aditum viamque sibi perquam commo-
dam aperuit.

In fano ipso multa, ut memini antea, reperta opulenta regum, principum, gentiumque donaria, puta anathemata, & in his coronæ, scuta, vexilla, enses: præterea instrumenta sacra, mensæ, omnis generis vasa, nolæ, crotala, acerræ, thuribula, amulæ: plæraque ex auro, argento vel ære: inæstimabiles denique thesauri, quos vota solventium inconsulta prodigalitas ibi accumularat. Hæc præda cessit victoti, partim inter milites, ut ad bellum alacriores essent, distributa: partim pijs usibus debitæ gratitudinis ergò destinata. Idolum ipsum columnæ affabrè factæ impositum, cum diris & contumeliâ dejectum comminutumque: tota ædificij sacri moles, quæ aliquot seculorum spacio magnificè exædificata ornataque, spectatores ad magnam admirationem traducebat, solo æquata est.

Auctor vitæ Caroli M. scribit Karolum vovisse, nullatenus inde se egressurum, nisi prius plena ejusdem loci & idoli ad laudem & gloriam nominis divini subversio facta fuisset.

Demolitioni totum triduum impensum ferunt, parte exercitus alia laborem urgente, alia contra hostilem vim & impetum in armis stante. Quod autem magna id temporis esset siccitas deficientibus tam rivis, quam fontibus, siti laborare exercitus cœpit: verum cùm in ipsâ meridie quiescerent, fons fœcundus largifluusque improvisè erupit: cujus beneficio recreati, tam homines, quam jumenta, piumque abolendæ infamis superstitionis negotium est maturatum. Rem totam ita narrat Henricus de Hervordia, ad annum Constantini Imp. 31. *Karulus Rex congregato VVormatia exercitu — Eresberg castrum quod nunc Mersberg dicitur, cepit, & ipsum fanum destruxit, & omne argentum, quod ibi reperit, abstulit, idolum vix.*

lum vix per triduum everit. In cuius destructione, cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, ut propter continuam celi serenitatem desiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus aqua ad bibendum inveniri non possent, sed subito divinitus, ut creditur, in cuiusdam torrentis concavo tanta vis aquae eruperat, quiescentibus cunctis tempore meridiano, ut omni exercitui sufficeret. Tunc Rex idolo destructo arbitratus se Saxoniam domuisse, VVyseram fl: accessit, ibique acceptis à Saxonibus XII obsidibus recessit.

Crancius Saxon. lib. 2, cap. 9. innuit simulachrum conservatum, diuque post visum in monasterio Corbeiensi, cum tali inscriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam policeor me venerantibus.* Hæc ille ex Chronico Saxonico veteri: cuius mentem tamen non est affectus: cum verba Saxonica more gentis & seculi concisa & subobscura, Latine reddita ita sonent: *Olim Saxonum Dux fui & Deus, adoravit me populus Maris: gens quæ me veneratur, aciei cornua gubernat.*

Georg. Fabricius Orig. lib. 2. Statuam Irminsulam memoriæ & vetustatis causâ Eresbergi diligenter asservatam fuisse affirmat, usque ad tempora Ottonis M. cuius jussu, bello civili Danemaricano confecto, inde sit ablata.

CAPUT IIX.

Translatio Irminsulæ ex Veteri in Cisveseranam Saxoniam.

Ioannes Letznerus Theologus, patriarum antiquitatum investigator diligens & industrius, de hac translatione texit narrationem notatu dignam, quam, cum alibi non extet, fidem tamen mereatur, ex auctoris Corbeiensi Chronico, & libro de vitâ Karoli M. vernaculâ linguâ conscriptis, nostris hîc verbis subiiciemus: Destructo fano Eresbergensi & Idolo Irmo vel Irmino confecto, cum Karolus animadverteret, columnam superstitem æquè Saxonibus venerabilem esse, atque deaster

45
 ipse fuerat, plastro impositam, rectâ ad flumen Visurgim de-
 vehi, eoque in loco, ubi nunc *Corbeia* conspicitur, deponi,
 terræque infodi iussit. Defuncto autem Karolo, cum *Ludo-*
wicus primogenitus & in Imperio successor, Corbeiam quam
 dixi, fundaret, contigit, ut columna ista reperiretur: quam
 Imperator, non minus prudens, quàm religiosus, ut Saxoni-
 bus ad *diocæsiam* proclivibus, omnem veteris Idolomaniaë me-
 moriam ex oculis animisque auferret, è vestigio trans Visur-
 gim deportare mandavit. Agebatur negocium clam & oc-
 cultè, sed rumor nihilominus emanavit, Saxonumque ani-
 mos plurimùm reddidit perturbatos. Qui Irminsulam de-
 ducebãt multi erant, armati omnes, ut vim, si qua inferretur,
 propullare possent. Hos insecuti sunt Saxones, transmisso-
 que Visurgi, eo in loco, ubi postea Comites, sive Dynastæ
Wincenburgj, dominati sunt, festinabundos apprehende-
 runt. Orta ibi est velitaris pugna, quòd Saxones rem sacram
 à majoribus suis religiosè habitam cum imperio reposcerent:
 Cæsariani acriter resisterent, eo eventu, ut ex totâ multitu-
 dine octo statim interimerentur, quorum memoriaë totidem
 cippi lapidei in formam crucis cæsi, juxta viam positi sunt,
 additaque ædicula sacra, sive capella, ut vocant, Quæ veli-
 tationi & cædibus perpetratis occasionem præbuerat, loco
 conflictus nomen reliquit, ut *Armensula* (sic enim veteres
 Saxones locutos suprâ meminimus) deinceps appellaretur.
 Ubi cum initio unus & alter ex agricolis consideret, successu
 temporis plures confluentes, vicum sive pagum ibi medio-
 crem condiderunt. Is hodie paret equestri familiaë *Stock-*
heimiorum, sic, ut beneficium, sive feudum, sit illustrissimo-
 rum Ducum Brunsvicensium, quorum præfecturæ Wincen-
 burgiæ *Armensula* accensetur. Cæsariani, profligatis Sa-
 xonibus superiores, ne novi pluresve hostes supervenirent,
 alacriter pergentes Armensulam ad *Inneram* fluvium (diplo-
 ma Henr-

ma Henrici 4. Imp. ad annum Christi 1045. *Entristam* appellat) devexerunt. Agebat ibi Ludovicus Cæsar, novæ urbi, cui à vicino saltu, *der Hilles* appellato, nomen *Hilleshemie* indidit, condendæ, simulque novæ & ampliori basilicæ, sive templo Dominico, in usum Episcopi & Canoniorum, quos *Aulicam* ad *Sale* & *Leina* confluentem, ubi Karolus M. sedem cathedralem erexerat, relinquere, & ad Inneram fl. migrare jubebat, erigendo, largiterque dotando, totus incumbens. In novum istud templum *Armenfula*, prius tamen solemnibus cerimonijs lustrata, & à noxis, quibus in templo Ethnico inquinata credebatur, interventu piarum precum ritè expiata, cum tripudio introducta, atque ante presbyterium, sive chorum, ut vulgò vocant, ubi templi medium, collocata est. Ibi etiam hodie conspicitur, sustinendis luminaribus, quæ ferijs solemnibus accenduntur, deserviens. Hactenus Letznerus, qui auctorem, quem sequatur, laudat Conradum Fontanum, monachum Helmershusensem, familiæ Benedictinæ.

Hoc habet peculiare Irminsula, ut cultello percussa, sonum acutum instar tinnimenti reddat. Æstate cum aër ferventissimus, ipsa perquam est frigida, sudanti non absimilis.

Ignorata fuit hactenus & neglecta aliquot seculis, donec ante paucos annos, vir dignitate, genere & doctrinâ nobilissimus, Dn. *Aschius ab Heimborg* summi templi apud Hildesienfes Canonicus, mihi & studijs hisce ex animo favens, situ & rubigine squalentem interpolari innovarique curaret. Inveni sunt in ea tres versiculi aureis literis exarati, quos ut ab Heimburgio accepi hîc adjungam.

*Sic fructus vestri vestro sint gloria Patri,
Ne damnent tenebræ, quod fecerit actio vitæ:
Iuncta fides operi sit lux superaddita luci.*

*De Spectaculo in memoriam dejectionis
Irminsvlae instituto.*

IN memoriam destructionis Irminsvlae hodieque singulis annis solemne, etsi ludicrum, peragitur spectaculum, istum in morem. Pridie diei Dominicae, quam vulgò *Letare* nominamus, colonus quispiam, ex proximo rure ad id conductus, in aream templo Dominico, sive Basilicae San. Marianae contiguam, comparet, defertque secum duo ligna oblonga, senum circiter pedum, quibus terrae firmiter impactis, singulis imponit lignum instar pyramidis acuminatum, longum pedem unum. Investigatio confluunt ex plebe pueri magno numero, arreptisque baculis & lapidibus, ex intervallo longiusculo certatim pyramides istas deiciunt, dejectas reponunt, iterumque deturbant, tamdiu hoc agentes, donec ludi fatietas eos domum redire jubeat. Haec idem Letznerus in Chronico Corbeiensi Germanico Hamburgi excuso, cap. 18. atque ex eo repetit in vita Karoli M. cap. 18. sic tamen ut in circumstantiis modica variatio. Atque hoc modo antiquitas religiosa, rituumque in oculo incurrentium amans, superstitioni explosae ac profligatae multis etiam seculis post cum contumelia illudere & insultare, praesentes vero gratitudinis Deo debitae admonere voluit,

CAPUT X.

*De similibus spectaculis, alibi locorum
quotannis exhibitis.*

Consimilia vero ejus generis spectacula alibi etiam usitari solita, tum intra tum extra Germaniam, non unus fides facit scriptor. Cum enim anno 965. Polonia sub Principe Mieslao accepisset fidem Christi, atque hoc fama nuncio
Romam

Romam deferretur, Pontifex Johannes XIII misit in Poloniam Ægidium Cardinalem Tusculanum, qui hinc inde in regno constituit Episcopatus, ut nominant, & ecclesijs præfecit homines Italos & Germanos, qui populum erudirent & religionem propagarent. Tum ex edicto regio, inquit Ioachimus Curæus in Annal. Silesiæ pag. 31. & meminit in formulis precum desumptarum ex lectionibus Evangeliorum Dominicalium ad Dominicam Latrare, *Simulacra idololatrica ubique in Polonia publice confracta & exusta sunt die 7. Martij. Is fuit tum Dominicus quartus in quadragesima, quem nominant Latrare Hierusalem.* Horum enceniorum memoria diu conservata est in hac gente, & eo Dominico die gestata sunt simulacra terribilia, similia spectris, in perticis, eaque tandem in coenum devoluta: qui mos adhuc hodie à pueris & puellis in Silesiâ representatur, & vocatur Dominica mortis. Quia etiam malos genios solebat colere & placare vetustas Ethnica. Meminit hujus moris apud Silesios etiam Alex. Guagninus Compendio Chronicor. Polon. in historia Miesconis primi. *In Silesia quoque Polonia confini die 7. Martij, quo videlicet tempore idola demolita sunt, pueri in villis & opidis ex more recepto simulachrum quoddam ad similitudinem mulieris conficiunt, opidoque exeuntes, & cautionem quandam ingeminantes, simulachrum de ponte in flumen præcipitant.*

Martinus Cromerus de rebus gestis Polonorum lib. 3. hæc habet: *Representari ejus rei memoriam etiam sua ætate Dlugossus testatur, quod in pagis quibusdam simulacra Marzana, (quæ Ceres fuisse dicitur) & Zievonie (quæ alias etiam Dzeviana, & Diana fuit) contis præfixa (vel ut nos ex majoribus natu didicimus, trabis imposita) cum querulo & lugubri cantu vulgo in pompa gestari, & in paludem vel flumen abiici soleant ea die, quæ est quarta Dominica Quadragesimæ.*

Similiter Matthias de Michovia Chron. Polonor. lib. 2. cap. 2. *Quia multi restabant, inquit, sacro fonte baptizandi, idem*

ideo per edictum strictè demandavit rex Mierzslaus, ut omnes in civitatibus & villegijs, nobiles atque ignobiles, septimâ die Martij adventant e Idolis confractis & in lacubus aut aquis submersis: simul & lapidibus ab utriusque sexus hominibus obrutis, sub confiscatione bonorum & exterminatione baptisarentur. Quâ die superveniente, ut erat constitutum, cuncti jussa exsolventes renascebantur in Christo, & baptisabantur, servaturq; ille mos usque in hodiernam diem in majori Polonia. Nam pueri in Dominica Lætare, facto Idolo seu imagine, alicubi in ligno longo eam portant, alibi in vehiculo ducunt, & in aquam proijcientes demergunt, singuli properè domum repa- nantes.

Georgius Torquatus Theologus & Historicus in anna- libus suis Magdeburgicis & Halberstadiensibus manu- scri- ptis, partis primæ lib. 3, cap. 9. hæc habet: *Alibi alij instituti sunt ritus & publica spectacula, sive per Karolum, eiusve duces & successores, sive ex ipsorum hominum arbitrio, quibus abrogata vana superstitionis commonefacti ad constantiam in Christianâ religio- ne retinendâ excitarentur. Sic Halberstadii quotannis in Quadra- gesimâ, Dominica Lætare, Canonici Cathedralis, in loco plano ante gradus celle, pyramidem quandam capitatam, columna impositam singuli ei acutis fustibus deicere tentabant, canentes Antiphonam: Auferte hinc, dicit Dominus, & nolite facere domum pa- tris mei domum negociationis. Ioan. 6. Verum inter tot Ca- nonicos vix unus & alter pyramidem illam columnâ deturbabat, re- liquis omnibus sætu aberrantibus. Quo solemnî ritus auctores haud dubiè retineri voluere apud posteros ingentis istius laboris atque stu- dij memoriam, quod Karolus impendit ad destruenda regionum Idola, quæ Saxones in columnâ posita, ut Deos venerabantur. Canonicos verò commonefacere, ut pro suis quisque viribus & officio annitere- tur, religionem veram, tot laboribus, tantoque studio inter toties fe- rociter rebellantes Saxones semel constitutam, incorruptam conser- vare, rejectis & exturbatis à Christi Ecclesiâ omnibus aliis dogmati- bus ver-*

bus verbo Dei contrariis. Hæc peragebantur dicto Dominico die post Nonas, inde à multis seculis usque ad Ioannem Albertum, Marchionem Brandenburgensem, administratorem Halberstadensem, & Archiepiscopum Magdeburgensem, qui Alberto Cardinali, Electori & Archiepiscopo successerat. Tum demum abrogabatur ritus ille, propter spectantis multitudinis pericula, quæ ei ex aberrantibus iētibus sæpe imminebant, & propter contemptum ipsius cleri: quos ut viros graves, & annis, nobilitate atque sapientiâ præstantes, ejusmodi ludicra exercere in tantâ luce Evangelii ridiculum erat. Hactenus Torquatus.

CAPUT XI.

De Christianâ religione in Eresbergo propagatâ.

NON erat satis Karolo Idololatricos cultus in Eresbergo abolevisse, etsi hoc fuerat Augiæ stabulum purgare: quomodo fides Christiana idolomania eliminatæ substitui, & in rebeli indomitâque gente radices commodè agere & efflorescere posset, de hoc cogitabat, sollicitusque erat plurimum. Condidit itaque in ruderibus veteris templi, nuper in cineres redacti, sacellum, sive, ut à primariâ actione, quæ ibi peragi solebat, vocabant *Oratorium*: Græcis ejusmodi ædes *ἱερὴ*, sive *ἱεροῦ κτήρια*. De templo sic scribit auctor vitæ Karoli Magni MS. lib. i. cap. 14. *Apud Eresburgum civitatem Saxonie quam propter inhabitantium pertinacem perfidiam & indomabilem contumaciam deleverat, sed tamen post casum in majori splendore zelo pietatis restruxerat, post everisionem Idoli, Hermensul, id est statua Hermetis ab incolis vocati, basilicam Imperialis munificentia & celsitudinis construxit: ut quem locum cultura Demonum sordidaverat, Christianæ religionis veneratio emundaret.* Sacello Karolus adjunxit collegium monachorum ordinis Divi Benedicti, homines doctrinâ vitæque sanctimoniâ commendatos,

datos, quibus verbi divini sementem spargentes, & tanquam
 in speculâ pro custodiâ gregis excubantes, filio Dei quam
 plurimos lucrifacerent. Cæsar Baronius Cardinalis collo-
 cat in annum 799. qui belli Saxonici fuit vicesimus septimus,
 climactericus simul & auspiciatus. Addit idem Baronius
 privilegium à Papâ Leone 3. ecclesiæ recenti condonatum,
 quod undecunque ille habuerit, à nostratibus etiam conser-
 vatum constat. Etenim ab Henrico de Hervordia ad annum
 Karoli M. 4. Christi 805. totidem pene verbis refertur, inter-
 cedente tamen modicâ in uno aut altero variatione. Nos in-
 tegram hic apponemus: *Lea servus servorum Dei, Karolo*
M. Imperatori Romanorum Augusto. Pia tua intentioni per
omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc
montem Eresburg, quem expugnatum cum totâ Saxonia Deo obtuli-
sti, & per nos B. Petro consecrasti, liberum ab omni humanâ potestate
esse, & fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditiori tan-
tum modo parere censemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti pa-
tiantur: neve regni vestri invasoribus aliqua rebellandi fiducia præ-
paretur, sub anathemate, S. Petri interdiciamus, nequis unquam
bellica in ipso monte presidia collocare, aut decimas circa mon-
tem per duas Saxonicas Rastas, quas illuc delegasti, audeat
diripere. Hoc (conservantibus) sit pax à Deo patre: in-
fringentibus excommunicatio, & à beatorum collegio sit sepa-
ratio in æternum. Datum Eresburgi per manum Ioannis Bibli-
othecarij & Cancellarij ecclesiæ Romanae Kalend. Januarij 8. Ka-
*lend. Januarij, anno Domini * * * Leonis tertij 4. Indictione 8. die*
Dedicationis capelle in Eresburg. Hæc Baronius annalium Ec-
clesiasticorum tomo nono, ex Regesto Innocentij 4. vti ipse
affirmat. In hoc privilegio (quod obiter monere libet)
consideranda est vox Rasta, merè Germanica, usitata mediæ
ætatis scriptoribus. Adamus Bremensis: lib. 1. cap. 23. Lo-
cus Ram

*cus Ramsola in Episcopatu Verdensi positus, ab Hamburg nisi tribus
disparatur rastis. Quod Crancius Metrop. lib. 1 cap. 34. sic
exponit: tribus disparatur rastis, hoc est, passuum millibus. Vetus
est vocabulum, teste Hieronymo, cujus in Ioëlem verba sunt:
Nec mirum si unaquæque gens certa viarum spacia suis appellat nomi-
ni bus, cum & Latini mille passus vocent, & Galli Leucas, & Per-
se Parasangas, & Rastas universa Germania. Saxonibus ad-
huc hodie Rasten vel Resten / affine Græco *πάσσιον*, ut in Tacitum
annotat Althamerus, est vel à labore, vel ab itinere qui-
escere: Unde *Rasta* tale viæ spacium, quo emenso aliqua qui-
ete opus sit: CL, Freherus putat esse milliare Germanicum:
quem vide Glossario, primo tomo scriptorum rerum Germa-
nicarum præfixo: neque non Simonem Schardium Lexico
juris.*

Theodoricus Niemijs meminit dedicationis fanæ Eres-
bergensis à Papâ Leone factæ, verum de suo addit, inspecti-
onem & tutelam religiosi istius sodalitij à Karolo M. Antistiti
Corbeiensi demandatam. In quo graviter alucinatur: nam
defuncto demum Karolo, Ludovicus F. quem scriptores Pi-
um vocant, ex aurâ Corbeia Gallia cœnobio haut longè
Ambianis, ad ripam Somonæ fluvij, anno Christi 660. à *Bar-
thilde*, Saxonici generis heroinâ, *Clodovai 2.* Francorum Re-
gis conjugè fundato, novam Corbeiam prope *Huxariam*, *VVest-
valia urbem* non incelebrem, auspiciatù incoavit, religiosiq;
colonis implevit, anno 822. ut Joannes Trithemius ex Hen-
rico Hervordienfi, monacho Dominicano Mindensi, anno-
tavit. Credibilius ergo, Ludovicum Imp. Corbeiam Saxo-
nicam, quibus posset modis ornare, & simul commodis col-
legij San-Petrini providere volentem, fratres Eresbergen-
ses Corbeia primùm subiecisse. Id quod confirmat Chroni-
con Corbeiense luci à me datum, desinens in *VVicboldo* ab-
bate, qui à *Friderico Barbarossâ Imperatore*, anno 1155. Con-
stantij

stantinopolim ablegatus sequenti redijt, ut Otto Frisingen-
 sis de gestis Friderici Imp. lib. 2. cap. 23. & 29. ubi tamen Gui-
 baldum nominat. Verba Chronici sunt: *Domnus Liudovicus*
Imperator Augustus, Karoli M. filius, tradidit monasterio (Cor-
beienfi) locum Huxeri cum omnibus terminis suis: Eresburg &
Meppiam Abbatiolas, & cetera pradia in Aquilone: Iudita Im-
peratrix hac à viro suo obtinuit. Recitat eadem verba Henri-
 cus de Hervordia ex Ordinario Corbejensi ut vocat. Verba
 eius sunt. *Tradidit etiam eidem Huxeri cum omnib. terminis suis,*
Eresberg & Moppen Abbatiolas & cetera pradia in Aquilone. Iudi-
ta Imperatrix ab eodem viro suo hac obtinuit.

Templum Karolinum hodieque superat, vivamque fun-
 datoris imaginem saxo insculptam in aditu cœmiterij osten-
 tat. In frontispicio templi litera A expressa apparet, quam
 incolæ, ex relatu majorum, affirmant denotare, collegium
 Eresbergianum primum esse ex illis, quæ Karolus Magnus
 amplificandi cultus divini causâ certo numero struxit: sicut
 inter reliqua Latinorum elementa A primum sibi vendicat
 locum. Quæ relatio cum historicorum fidem merentium
 monumentis comprobetur, facilè mihi persuadebitur. Ad-
 dam autem quorundam nostratium scriptorum testimonia,
 ut res illustrior sit. Glossator speculi Saxonici ad libri 3. ar-
 ticulum 82. *Karolus ad numerum literarum alphabeti cœnobia fun-*
davit, & in unoquoque per ordinem unam literam alphabeti de auro
fabricatam, plus quam 100. libras Turonenses valentem reliquit:
quæ litera adhuc in plerisque monasteriis reperiuntur. Chronicon
 Belgicum magnum pag. 44. *Karolus Imp. ad numerum litera-*
rum alphabeti cœnobia fundavit, & in unoquoque per ordinem lite-
ram ex auro fabricatam, plus quam ducentas libras Turonenses va-
lentem reliquit: ut ex ordine literarum tempus foundationis cujuslibet
monasterii recognosceretur. Huldricus Mutius Chron. rerum
 Germanicar. lib. 8. *Monasteria Karolum scribunt fundasse, ut ita*
 loquar,

loquar, secundum numerum alphabeti literarum, & in singulis monasteriis singulas aureas literas deposuisse. Rudolfus Hospinianus de origine templorum lib. 1. cap. 6. Referunt de Karolo, quod tot monasteria & templa extruxerit, quos Latinorum elementa sint, & cuilibet elementi vocem indiderit. Hæc malui auctorum, quàm meis verbis exponere, cum nonnihil inter se discrepent. Litteram A etiamnum Merspergenses suis, quos cudent, numis imprimunt.

Collegium Eresbergense similiter adhuc perdurat, habetque Præfectum (vulgò Præpositum vocant) ex ordine equestri, cujus confirmandi potestas est penes Principem Corbeiensem.

Quod Isenacense Chronicon affirmat, Eresbergi templum à Pipino, Karoli M. parente, conditum esse, nullam fidem meretur, quamvis in centurias Magdeburgenses irrepserit. *Dancmarum* Henrici Aucupis Cæsaris F. ibi sepultum scribit Georgius Fabricius Origin. lib. 3.

CAPUT XII.

De Eresbergo opido ejusque historia.

Chronicon Saxonicum vetus anno 1492. Moguntia excusum (quibusdam ab urbe, in qua ab homine plebeio, quod res & verba arguunt, compilatum est, Brunsvicense dictum) affirmat post domitam Galliam à C. Julio Cæsare, cui ineptè regis Romanorum titulus adscribitur, de nomine septem Planetarum in Germaniâ Transrhenanâ versus Septentrionem opportunis locis totidem arces fundatas esse. In ter has primo loco in Vestvaliâ in edito monte constructum *Marspurgum*, Marti, cujus idolum ibi positum sit, consecratum, &c. Sed hoc tanquam frivolum inepti somniatoris commentum irrident, Crancius Saxonix lib. 1. cap. 25. Fabricius Originum lib. 1. Refutat solidè & accuratè Petrus

IRMINSVLA

Albinus Chronici Misnensis titulo II. Credibilius est Romanos rerum dominos, post subjugatam Galliam Germaniæ inhiantes, oportunum faciendis excursionibus & devictis in officio retinendis primos ibi erexisse propugnaculum. Deficiente autem Imperij Romani auctoritate & potentiâ, reges Francici, ut cæteras regiones vicinas, sic illud etiam præsidium sui juris fecere, atque ex eo debellarunt Saxones. Qui cum deinceps contra *Thuringos & Viavolos*, sive *Slavos*, subinde Francis operam navarent, fortè Eresbergum, vel dono acceperunt, vel Francis multitudine hostium laborantibus vi extorserunt. Certi nihil hîc definire licet, neque de origine superstitionis atque Idolomanie isthic cœptæ & stabilitæ quicquam affirmare possum. Munsterus conijcit à Romanis superstitionem promanasse Verba ejus sunt: *Putantur Saxones per Romanos, maxime per Drusum aut per Germanicum, qui sub Augusto hanc provinciam sibi subjugaverunt, Deorum varias culturas suscepisse.* Chronicon Saxonicum omnia fabulosè refert ad Iuliam Cæsarem. Hoc, quemadmodum ex veritate historica supra demonstravi, constat, Karolum M. ex decreto conventus Wormatiensis bellum Saxonicum aggredienrem primò hunc locum, in quo ad rem feliciter gerendam, multum erat momenti, sibi delegisse expugnandum. Erant tum temporis, ut Ertvvinus Ertmannus, consul Osnaburgensis Chronico suæ diœcesis scribit, *tria præcipua & eminentiora castella* (retineo verba auctoris,) *videlicet Herishurg in Saxonia Hasionumque situm confinio: Sigiburg super Ruram fluvium positum, & Iburg: quod ex jucundo situ terrarum egregium fuisse nemo dubitet.* Hæc propugnacula Karolus sui juris fecit, non tamen uno eodemque tempore, sed per intervalla. Ad Eresburgum ex animi sententiâ egit, quod voluit, labefactatâ per primam victoriam magnâ præsentis potentiæ & fiducia ulterius parte: religione planè pessundatâ. Saxones ad inopinatum in-

fortu-

fortunium exanimati, cum victore pacem fecerunt, datis
 obsidibus: sed quòd libertati, quam in periculo videbant,
 plurimum metuerent, per absentiam regis Karoli præfidiari-
 os, in arce relictos tam diu oppugnando fatigarunt, donec se
 dederent: quo facto muri à victore circumducti, à Saxonibus
 diruti soloque æquati sunt. Tertio belli anno Karolus in
 Saxoniam reversus Eresbergum, tanquam locum munitio-
 ni perquam idoneum, denuo & firmiter, quàm antea, instau-
 ravit: sed in sequenti anno (fuit is 776.) Saxones per vim ite-
 rum eo potiti sunt. Regino tamen lib. 2. & Auctor vitæ Ka-
 roli M. Anonymus, qui MS. extat in monasterio S. Gothar- //
 di in inclyta Hildesia, lib. 3. cap. 9. dissentientes, oppugna-
 tum quidem, sed non expugnatum Eresbergum scribunt,
 quod prodigio duorum clypeorum, sanguineo colore flam-
 mantium consternati Saxones, re infecta abierint. Auctor
 vitæ Karoli, quem dixi, sic loquitur: *Alio quoque tempore
 prænominato victoriosissimo & Christianissimo Rege, post captivita-
 tem & decollationem Rogandi, nefandissimi tyranni, in Franciam
 reverso & de negociis sanctæ Ecclesiæ & Regni fideliter & prudenter
 disponente, Saxones cognita ejus absentia; more solito ruptis sacra-
 mentis, in unum conglobati, Heresburg castrum aggrediuntur, frau-
 dulenter Francis suadentes, ut de castro exeant, & cum pace in pa-
 triam pergant. Sed cum illi fallacibus monitis minime assensum
 præberent, machinas præparant, munitionem obsidione cingunt, &
 summis viribus certant, sed nihil proficiunt. Quadam itaque die,
 cum iterum red vivo certamine bellam præparassent, apparuit Dei
 gloria manifeste super domum ecclesiæ, quæ erat infra castrum, vi-
 dentibus multis, tam Christianis, quam paganis. Nam duo scuta
 apparuerunt super præfatam ecclesiæ sanguineo colore flammantia,
 & velut in prælio quibusdam motibus agitata. Itaque pagani hoc si-
 gnum aspicientes, timore & formidine repleti, mox in fugam conver-
 si sunt, & in tantam amentiam devenerunt, ut strictis gladiis mutuis
 se armis*

se armis confoderent. Quanto vero illi pavore perterriti tanto amplius Christiani confortati, omnipotentem Deum laudabant, qui salvos facit sperantes in se. Haecenus vita Karoli. Mentionem prodigij hujus faciunt etiam versiculi de Karolo scripti:

*Divino clypei super urbem sole rubentes,
Absterrent hostes conversa cade furentes.*

Quicquid sit, Karolus post paucos menses rediens, Eresburgum non tantum porro munivit, sed aliud etiam in ripa Lippiae contra excursions hostium propugnaculum extruxit. Scriptores coetanei nomen non exprimunt. Henricus vero de Hervordia, quem sequitur Rolevincius, Bechtelar appellatum scribit, & prius Widechindi regis fuisse. Nomen id interpretor sedes sive castra pugnae. Nam *Bechten* priscis Germanis est praelio decertare: *Eer* vero, vel *Ear* / sedes vel castra significat, voce *Eger* vel *Eager* dissyllaba more Germanico in monosyllabam contracta. Sic *Bredelar* / de quo infra, significat castra lata: *Frislar*, cujus meminere Annales Francici ad annum 774. castra pacis: *Goslar* / castra sive habitationem ad *Gosam* fluvium.

Sed ad Eresburgum redeundum. Id a postrema occupatione, Saxonibus Occidentalibus, in Karoli potestatem paulatim concedentibus (Iam enim primores gentis regi Francorum ejusque filijs, totique regno fidelitatem & obedientiam juraverant) ab omni praeterea rebellione & injuria se abstinentibus, ampliari, publicisque aedificijs & privatis exornare coepit. In illud jussu Karoli concessit *Sturmio*, alijs *Sturmus*, Norica provincia oriundus, primus Abbas Fuldenfis, cum contra Orientales Saxones bellum redintegraretur: sed quod aetate fractus & invalidus, morbo etiam languesceret, cum *Wintero* Karoli medico, cujus in cura aberrationem experiebatur, inde ad suos reversus est, pauloque post,

post, anno 779. obdormivit, ut Ægil habet, Abbas Fuldensis, in vita Sturmionis. Repetit inde Christophorus Brovverus Annal. Fuldens. lib. 3. cap. 5. Redijt Eresburgum Karolus anno sequenti, commoratusque ibi diebus aliquot, accessit ad fontes Lippiæ, hodie Lipspringe. Quinquennio post iterum Eresbergi fuit. Cum enim *Luidæ* ad *Ambram* fluvium, in agro Padibornensi natalem Domini celebrasset, paulloque post *Remam*, ubi *Wernæ* & *Visurgis* confluens, inde in ulteriorem Saxoniam progressurus, pervenisset, ne *Visurgim* transfiret, magnitudine hyemis, concitaque effusi fluminis inundatione prohibitus est. Redijt ergo Eresburgum, eoque *Fastradam* conjugem *Rudolfi* Franciæ Orientalis Comitis F. ante biennium *Wormatiæ* ductam, cum primogenito *Ludovico*, cæterisque filijs & filiabus ad se venire, præcepit. Aderant ipsi præsidij causa virorum fortissimorum, juxta etiam fidissimorum cohortes aliquot, quas in agrum hosticum subinde emittebat, non raro educebat ipse, tota ista hyeme solito asperiore, quibus poterat modis, vicinos impressionibus fatigans, donec appetente vere, cum conjugem prius alio ablegasset, ad conventum Padibornensem se conferret. Hyems ista Eresbergi transacta peperisse Saxonibus dicitur *jus Westphalicum*, quod alij *Vemum* sive *Vemium* vocant; Crancius Saxon. lib. 2. cap. 21. appellat *occulrum*, quem sequitur Munsterus Cosmogr. lib. 3. cap. 456. Franc. Irenico Exeg. lib. 12. dicitur *Lex Sicambrica*, quod Westvali iidem ipsi cum Sicambri; vulgo *Behmrecht*. Testis Wernerus Rolevincius, cujus hæc sunt verba, perquam notatu digna, Antiq. Saxon. parte 2. cap. 6. *Hoc anno hyemavit Rex in Saxoniam, simul proponens in eâ manere, donec totaliter Christiana religioni subderetur, & feculentia progenies perfidorum tolleretur. Erat hæc hyems lugubris multum imbellibus, quia sæpè fiebant de jussu regis expeditiones ad vastanda loca illa, ubi se continebant, & flammis ac cladibus spoliisque distractis cuncta*

H

perie-

perierant, ut jam non esset spes resistendi. Hanc extremam severitatem cogebatur pius Rex ministrare cum multo dolore cordis sui, propter nimiam pertinaciam ipsorum, qui nec Francis, nec Saxonibus conversis pepercerunt. Interea, ut fertur, misit Rex legatum Romam ad Leonem Papam pro consilio habendo de rebellibus istis, quos nullâ poterat diligentiam ex toto compescere aut exterminare. Ast sanctus vir auditâ legatione nihil prorsus respondit, sed surgens ad hortulum ivit, & Zizania cum tribulis colligens supra patibulum, quod de virgis fecerat, suspendit. Rediens autem legatus hac Karolo nunciavit, qui mox IUS VETITUM instituit, quod usque in presens veme vocatur. Videtur autem hoc nomen tractum à Latino, & sicut quidam de more habent etiam Teutonici, ut dicant We mi / quando aliquid triste vel terribile vident, vel audiunt, quasi, vœ mihi! Sic hoc pragmatico & formidabili & peremptorio jure promulgato, ilico responderunt, We mi! quasi animo consternati pro tam severâ constitutione palam sancitâ. Hactenus Rolevincius, ex quibuscunque etiam auctoribus ista habuit. Huic quoad Pontificis consilium astipulatur Caspar Fachius, Politica Liviana, Errore 23. Cum Carolus M. inquit, de Saxonibus toties rebellantibus Leonem III. consulere per Legatos, refertur Papam eos introduxisse in hortum, & radicitus evulsis Zizanijs, imposuisse ea furculis, in modum patibuli erectis, sanguinarium suum responsum hoc facti ambage reddens. Unde Imperator conjectans, quid per ambages sibi vellet, instituit iudicium occultum VVestphalicum, daß Heimliche Westphalische Gericht / quo qui saltem suspectus erat defectionis, à clandestinis iudicibus clam è medio tollebatur. Cæterum iudicij vetiti, quod merito mireris, apud scriptores istius seculi, qui quidem ad nos pervenerunt, nulla mentio. Elapsis tamen seculis duobus, ac fere dimidio, meminit ejus Wippo, Capellanus Conradi II. Imp. cognomento Saliqui, dum in hujus vita cap. 6. ita scribit: *Reversus Rex de Ribuarijs ad Saxoniam, ibi Legem crudelissimam Saxonum, secundum voluntatem eorum con-*

rum constanti auctoritate roboravit. Per Saxoniã autem intelligit Vestualiam, quod notum. Meminit ejusdem Iudicij, ex sat longo tamen intervallo, Henricus de Hervordia, qui sub Carolo IV. vixit: cujus similiter en ipsa verba: *Karulus in patriam, de qua antiquos Saxonas fugaverat ultra VViseram, de Francia, Esflaia, Hasbania & Ardania populum novum introducens, terram eis dedit perpetuo possidendam: sic tamen, quod regionis totius proprietatem de eo dederit, ut videlicet patriam illam in fide Christi & fidelitate Regis manutenerent, propter quod & Legem secreti iudicij, quod patrie illius lingua Beme dicitur, studens regionem ipsam expurgare furtis, quod terra saltuosa sit & latibunda, perjuriis etiam & proditionibus & aliis talibus, sibi crebro compertis, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter inter Rhenum & VViseram observari sancivit.* Inter recentiores primus, quod sciam diserte aliquid explicavit Æneas Silvius, Cardinalis Senensis, postea Romanus Pontifex, Pius II. lib. de statu Europæ sub Frid. III. Imp. cap. 29. *Karolus M. inquit, multa cum VVestvalis pralia gessit, eosque magnis affecit cladibus, coëgitque Christi religionem amplecti relicto idolorum cultu: quam cum sepius abnegassent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœna rebellionem compesceret, occultos instituit iudices, quibus potestatem dedit, ut quamprimum dejerasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliquid aliud flagitium commisisse, mox illum supplicio afficerent, ubi primum comprehendi posset, nulla citatione prævia, aut defensione præmissa. Elegit viros graves & recti amantes, quos plectere innocentes haud verisimile fuit. Terruit eares VVestvalos, ac demum in fide continuit: cum sepe in nemoribus, & proceres, & mediocres viri laqueo suspensi invenirentur, nulla accusatione prius audita. Quærentibus tamen causam, constabat fregisse fidem, aut magnum aliquod scelus commisisse, qui necati reperiebantur. Id iudicium ad nostram usque perdurat ætatem, vocaturque VETITUM. Qui præsent SCABINI appellantur, quorum præsumptio est, ut per*

totam Germaniam jurisdictionem exercere velint. Scriptos habent ritus, & arcana quaedam, quibus malefactores judicant. Ea nondum quisquam reperitus est, qui vel pretio vel metu revelaverit. Ipsorum quoque Scabinorum magna pars occulta est: qui per provincias discurrentes criminosos nozant, & referentes judicio accusant, probantque, ut eis mos est: damnati describuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus sue damnationis, ubicumque repertus fuerint, supplicio afficitur. Silvio subjungo Paullum Æmylium, qui ista habet lib. 3. de reb. gestis Francor. Ultima mala meriti erant toties victi (Saxones sive Westvali) toties fidem ludificati. Traduci, decumari, internecione deleri poterant: pacem Augustus (Karolus) dedit. Dati Magistratus ad jus palam dicendum, unde provocaretur ad Augustum. Sed & sanctius arcanumque delectissimorum integerrimorumque virorum Concilium sine provocatione institutum, delectique pari sanctitate velut spectatores, qui ceteris omnibus ignavis, Vestfalia opida vicosque ac concibiabula circumirent, moresque & dicta cujusque factaque nozarent: ac quemcumque perjuriis perditæve religionis reversi in Concilio coarguissent, sine intercessione primo quoque tempore, ubicumque comprehendi posset, necaretur. Nemini sua dignitas suffragabatur: summi infimique prius laqueo suspensi conspiciebantur, quam rei fuisse audiebantur: Quem quisque tam ignominioso genere supplicii affectum videbat, hic violatæ fidei pœnas dat, dictitabat. Hic novi exempli metus eam gentem & Numinis & Augusti reverentiorum effecit. Iudices speculatoresque rem totam, notasque quibus reus coargueretur, tam sanctè occulere, ut cum Carolo Augusto defuncto idem institutum vigeret, nullis unquam minis, nullo malo adduci potuerint, ut enunciarent. Paulli Æmylij sententiam recepit Ioan. Cuspinianus in vita Karoli M. Silvij verba repetit Felix Faber monachus Vlmensis Histor. Suevor. lib. 1. cap. 7. & post eum Ioannes Boëmus Aubanus descript. orbis terræ lib. 3. cap. 14. Munsterus Cosmogr. lib. 3. cap. 456. Iac. Spiegelius

gelius Comm. in lib. 1. Ligurini. Georg. Torquatus Chronico Magdeb. & Halberstad. MS. lib. 3. cap. 8. Vbbo Emmius de Frisior. orig. lib. 4. Addam istis etiam locum Aventini, ex lib. 4. Annal Bojor. ubi, discedens à Rolevincio, sanctionem hanc collocat in annum 794. quo tempore colonia Saxonum in Galliam traducta est. Verba Aventini sunt: *Cuncti Transalbiani cum liberis, uxoribus, mancipiis, in Franciam translati: eorum sedes Abotridis Venedis, antiquissimis & conjuratisimis Francorum sociis attributa sunt: per pauci ad Cimbrorum regem profugere. Decemque tum millia Saxonum liberorum, cum parvis pignoribus, conjugibus, seruis, per ceteras passim Germanias distributa sunt. In quorum domicilia gravissimi quique delecti, vitæ & morum probitate insignes, ex omni Germaniâ translati, penes quos foret arbitrium & potestas animadvertendi etiam indictâ causa, in pacis & fidei violatores religionisque desertores. Inde Ius, ut vocant, Westophalense derivatum, silentio & taciturnitate sacrosanctum. Indices, quos CONSCIOS nuncupant, nescio quibus ceremoniis initiati se invicem agnoscunt. Porro profanis ritum prode- re, religio est, & propiaculo habetur. Neque quisquam adhuc omnium inventus est, qui hujusmodi mysteria evulgarit. Hucusque Aventinus. Qui vero hic conscii vocuntur, eos Iacobus Spiegelius loco adducto vocat die Wiszner / Vigularius Hundius in Bayerischen Stambuch / in explicatione vocum veterum, die Wissende. Si Rolevincij assertio fidem meretur, verosimile est, Nemesin hanc, sive constitutionem Karolinam, Eresbergi deliberatam, Padibornæ verò in Comitij, de quibus suprâ dixi, ordinibus Francis & Germanicis suffragantibus, solemni modo promulgatam esse.*

Quæri autem potest, cur jus à rege Christianissimo sancitum, tam AENEAS Cardinalis, quam Rolevincius alijque VETITUM appellare, ausi fuerint? CL. Freherus σφάλμα librarij agnoscit, censetque scribendum VEMUM vel VEMI-

UM, additque se olim putasse legendum VITUTUM, quam sententiam priori postponit. Ego verò eam minimè dimitto: sic tamen ut malim VITIUM sive WITTIUM. Witti veteribus Germanis idem est, quod prudentia, teste Lipsio centur. 3. Belgas Epist. 49. & auctore etymologiarum nominum Germanicorum, quod opusculum quidam volunt esse Dn. Lutheri. Cum Lipsio facit Petrus Albinus, qui in progymnasmatibus historiae Saxonicae pag. 200. affirmat *Witta* vocabulum significare principem sapientem. Idem in Aulæo Vetro-Saxonico pag. 161. de hoc eodem Wittâ Saxonû rege, *Witta subit, certis cui dat sapientia nomen*

Ominibus. — —

Nec ignoravit hoc Suidas Græcus: nam in vocabulo *Amalasynta* scribit, nomen *Amalsuida* idem esse, quod *ἄρανοπλατὴς ἢ ἄρανόσοφος*, cœlesti prædita sapientia. Atqui hoc est nostrum *Himmels witte*. Quod non animadvertit doctissimus Melanthon, dum lib. 3. Chr. Amalosuntha interpretatur Amalorum *Schönheit*. A vocabulo *Witte* nomen habet *Vitiges* Gothorum rex, Procopius lib. 1. de bello Goth. *Witta* rex Saxonum & ejus F. *Witigislus* pater *Horsæ* & *Hengisti*, qui primi colonias Saxonum in Britanniam deduxerunt, Bedæ historiae eccles. Angl. lib. 1. cap. 15. *Witigo* Episcopus Misnensis, Fabricius Annal. urbis Misnæ lib. 2. *Witbertus* Comes, Regino lib. 2. *Witigouvo* abbas Augiensis, Bruschius de Monaster. *Witirichus*, Iornandes lib. 2. *Witigerus* Episcopus Metensis, Regino lib. 2. *Witradus* abbas Fuldensis, Bruschius ibidem. *Witigast* dictator legis Salicæ, Sigebertus Gemblacensis. *Witfridus* F. Eduini regis Saxonum in Angliâ, Fabricius Orig. Sax. lib. 1. Ab hoc vocabulo nomen etiam sumsit *Wittichindus* rex Saxonum; præterea *Witili*, *Witold*, *Witolf*, *Witihilt*, *Witruvar*, *Witpurc*, nomina prisca Alemannis, Melchior Goldasto Heiminsfeldio Alemannicar. anti-

antiquitat. tomiz. parte primâ teste, usitata, ejusdem sunt originis. Erit igitur iudicium Westvalicum, non *Veritum* sed *Vvittium*, hoc est, prudens, vel hominum prudentiâ præditorum. Paullus Æmylius vocat *consilium sanctius arcanumque delectissimorum integerrimorumque virorum*: Silvius *virorum gravium & recti amantium*: Aventinus *gravissimorum quorumque delectorum ac vitæ & morum probitate insignium ex omni Germania*: Ertvvinus Chronico Osnaburgensi, *nobilium, legalium & virtuosorum*. Cuspianus in vitâ Caroli M. *delectissimorum & integerrimorum*. Et tale ab initio, & aliquot post seculis fuisse nullum est dubium: eoque inclinât etiam rerum Saxoniarum scriptor diligentissimus David Chytræus, cujus verba ex II lib. 3. Saxoniarum coronidis loco subijciam. *Instituit clandestina iudicia Karolus M. sapienti deliberatione & gravibus causis adductus. Cùm enim gens Vvestvalica amans libertatis, jugum imperij agrè ferret, & nihil non moliretur, ut excussâ Episcoporum & regum Romanorum dominatione, pristinum libertatis decus reciperet: Karolus M. aliquot viros honestos, sapientes & industrios secretò delegit, eosque hac potentiâ armavit, ut, quoscunque certò cognoscerent & deprehenderent rerum novarum & motienda turbationis imperii, aut seditionis cupidos & auctores esse, sine longiore disputatione statim mulctarent. Hac severitate tunc ad reprimendos turbulentorum hominum seditiosos conatus uti necesse fuit. Sed addit: Postea, ut omnibus bonis rebus, ut nomine & verbo Dei, ut magistratu, conjugio, vino, abuti homines, & scelera sua miscere consueverunt, ita non negabo, in his occultis iudiciis aliqua inconsideratiùs & iniustiùs facta esse. Sed genus ipsum iudicij, ut à Karolo M. ordinatum est, non vituperari posse, declarant etiam recentiorum Imperatorum Friderici III. & Maximiliani I. constitutiones. Hactenus Chytræus. Ubi ad ultima verba Chytræi noto, Iudicium Westvalicum jam dictum, ab Impp. subsequutis, etiam post ejus abusum, nunquam abrogatum, aliquando saltem reformatum fuisse,*

fuisse, donec in defuetudinem prorsus abiret. Nam à Conrado Salico Westvalis petentibus confirmatum supra ex Wipponemouui. Anno vero 1439. abusu jam invalescente Theodericus Coloniensis archi præsul reformationem Iudicij scripto comprehensam Sigismundo Imp. in Comitij Augustanis exhibuit, quam ille ratam habuit. Eam ipsam vero innovavit Imp. Fridericus III. in Comitij Francofurtensibus, atque ut ad præscriptum Karoli M. prædecessoris sui Iudicium illud per viros prudentes & expertos, non despectæ aut illegitimæ originis, nec perfidos aut servilis conditionis homines exerceretur, edicto cavit. Idem demum fecit Maximilianus I. Imp. Constitutione illa peculiari in comitij Wormaciensibus anno 1495. promulgata, qua & Sigismundi & Friderici III. constitutiones laudat ratasque habet.

CAPUT XIII.

Quomodo Eresberga ad Saxones redierit.

POST obitum Ludovici Pij, Karoli M. filij, cum heredes eius regnum paternum inter se partirentur, Eresbergum cum totâ Saxoniâ transijt in potestatem *Ludovici Germanici*. Quo sub annum Christi 876. defuncto, novaque inter filios heredes, Carolomannum, Ludovicum & Carolum Crassum, regni paterni divisione institutâ, Ludovico obvenere Franconia, Thuringia, Saxonia, Frisia & pars Lotharingæ. In hujus matrimonio fuit Lutgardis Ludolfi Ducis Saxonici filia. Decessit Ludovicus sine herede anno 882. Per quam occasionem, reliquis Karoli M. posteris bellis civilibus mutuo se atterentibus Saxones, provincias cis-Rhenanas paullatim sui jurisdictionisque fecere, & in his famosum Eresburgum. Possedit illud Otto, magnus Dux Saxonie, Ludgildæ reginæ frater, & post eum Henricus Auceps filius. Huic ad summam nato omnique virtute principe digna excellenti, supra modum

dum infestus erat Conradus Imp. ideoque fratrem Eberhardum *Franconia Ducem* ipsi immisit, urbemque Eresbergum, in quò Saxo cum suis hostem exspectabat adoriri iussit. Fecit ille imperata quærens adversarium: qui cùm consultò non compareret, superbè ei Francus insultabat, exprobrans Saxonibus indignam bellicosâ gente timiditatem: quòd mulierum instar mœnibus fiderent, intraque vallum desidentes, hostis aspectui se ostendere formidarent. Quo sermone vix prolato, Saxones improvisò hosti incubuere, tantanique gravi diuque ancipiti prælio commisso, stragem ediderunt, ut per jocum mimi canerentur Saxonici:

Tantus ubi infernus, qui cæsos devoret omnes?

Fabricius in Originib. Saxon lib. 2. habet de hac re dimetros Iambicos, lingua Saxonica per jocum cantari solitos. Contigere hæc anno 916. In descriptione hujus memorabilis victoriæ iterum graviter impingunt, tam Fabricius, quam Spangenbergius. Nam ille pugnatum scribit ad Harceburgum, ubi *Pala* Benedictinorum monasterium postea conditum (eadem habent centuriæ Magdeburgenses) hic iterum *Mersburgum ad Salam* inculcat: cùm tam VVidechindus, quàm Vrsbergensis difertè loquantur de Eresburgo veteri propugnaculo Transueferano, hoc est VVestvalico: neque dissentiat Crancius Saxon. lib. 2. cap. 1. Addunt præterea omnes Henricum Saxonem, post insignem victoriam recepisse se in *præsidium Grona*, ut VVidechindus lib. 1. vocat: Auctor vitæ S. Godehardi à Brovvero editus *castellum* nominat part. 2. cap. 6. Auctori vitæ Meinverci, Vrspergenfi & Crancio scribitur *Gruona*: diplomata veterum Imp. habent *Gruonaha*. Id vero nemo intellexerit cum Fabricio de *Gruninga*, oppido ad Bodum fl. Episcopatus Halberstadensis arce & præfectura primaria: cum *Grona* adhuc supersit in ripa Visurgis

Occidentali, peculium hodie Ducum Brunsvicensium, olim
 locus mortualis Henrici Claudi Imperatoris, qui eodem in
 loco anno MXXI duobus ante obitum annis S. Godehardum
 abbatem, Episcopum constituit Hildesensem, ut habet
 Auctor vitæ S. Godehardi loco adducto cap. 1.

Henrico Aucupe defuncto filioque *Ottone* ad fastigium
 Imperij erecto, frater ejus germanus *Henricus*, postea *Bajoa-*
ria Dux, cognomento *Rixosus*, cum reliqua Saxoniam ultra
 Visurgim Eresbergum in possessionem accepit. Excesserat
 nondum ille tum temporis ex ephebis, jussuque fratris Cæ-
 saris educabatur Eresbergi. Otto autem civili tumultu, re-
 bellantibus nimirum Impetatori, *Dancmaro* Aucupis filio, &
Eberhardo Franconia Duce, perduelles Eresbergum in suam
 potestatem anno 937. ut colligere est ex *Dithmaro* redege-
 runt, Henrico regio adolescentulo contra morem Germani-
 cæ gentis in vincula coniecto. Hæc *Gobelinus* ætate 6. cap.
 48. ubi addit urbem *Trozmundam* (Henrico Claudio Imp. in
 diplomate quodam est *Druthmannia* Continuatori *Regino-*
nis ad annum 953. *vicus Droomanni*: *Ditmaro* pag. 64. *Throt-*
munni. *Trotimania* est in diplomate *Ottonis* 3. Imp. ad annum
 993.) quæ hodie *Tremonia*, urbs Imperialis, eidem Henrico fi-
 delem fuisse. Variat *Videchindus* & exscriptor ejus *Vr-*
spergensis, asserens Henricum adolescentulum in præsidio
Badilicensi, de quo supra, captum, instarque vilis mancipij ha-
 bitum. Verum non diu retinere Eresbergum potuit *Danc-*
marus: nam Otto Cæsar de vi & injuriâ fratri indignè illatâ
 edoctus, inaudiens etiam de excursionibus & rapinis, quas
 rebelles subinde committebant, cum exercitu illuc venit, at-
 que è vestigio ab opidanis, quibus propter importunitatem
 & proterviam intolerabilem novus iste dominatus invisus
 erat, cum copijs intromissus est. Quod intelligens *Dancma-*
rus, in templum ejus loci, ob memoriam *Leonis* 3. Pontificis
 maximi,

maximi, à quo jussu Karoli Magni in honorem *Divi Petri* apostoli consecratum erat, omnibus venerabile habitum, sese abdidit. Milites regij, intellecto ubi hostis esset, non expectatâ Cæsaris voluntate, impetum fecerunt in locum sacrum effractisque templi foribus, Danemarum invenerunt supplicem, cingulo & torqne aureâ depositis, aram ac simulacra sanctorum tenentem: cui *Dirboldus*, *Cobbonis* Comitis *Tecklenburgici* filius nothus, primum vulnus inflixit: quem insequens *Mencia*, sive *Meinhardus* quidam, per fenestram aræ proximam sarissâ eum trajecit. Sic vitæ finem & sepulcrum infelix Danemarum Eresbergi invenit. De casu isto temeratio fratris sæpe conquestus est Cæsar, & tali ejus interitu doluit: nec ex interfectoibus quisquam evasit, qui sit cum honore & placide mortuus: nulli etiam postea nomen Danemari fuit ex filijs Imperatorum impositum, ut *Georgius Fabricius* annotavit: qui etiam *Originum* lib. 2. scribit statuam *Irmis*, sive *Martis*, quæ Eresbergi servata erat memoriæ non vetustatis causa, tum simul sublatam esse regis *Ottonis* jussu. *Vetus Chronicon Saxonicum*, *Coloniense*, & *Cuspinianus* in historiâ *Ottonis I. Imp.* *Danquardum* vel *Tanquardum* nominant, quem alij *Danemarum*, quorum hoc nostrum *Danckmeter* / illud *Danckwert*.

Hoc loco, propter Cæsares Saxonicos, qui isto ævo cum imperio fuere, operæ pretium existimo, ut aliquid addam de *Palatinatibus*, seu *Palantijs civitatibus*, de quibus *Speculum Saxonicum*, loco citato, sequentia refert: *Quinque civitates, quæ Palantia dicuntur, in Saxoniâ inveniuntur, in quibus Rex legitime debet curiis præesse. Prima dicitur Grona: VVerliz secunda, quæ modò in Goslariam translata est: VValhausen tertia: Alsted quarta: quinta Merseburg nominatur.* Hæc ibi. In hisce *Palantijs* urbibus commoratos frequenter Saxonicos Impp. ostendunt *Data Diplomatum Augustalium plurimæ. De Grona autem*

ea autem ad Visurgim fl. dixi paulo ante. Pro *VVerlitzio* in Speculi Saxonici quibusdam exemplaribus legi *VVerlaham* testatur Christoph. Brovverus Scholijs ad vitam S. Bernvardi. Vnde suspicari possis intelligi *VVerlam* diœcesis Coloniensis, quæ VVidechindo Corbeiensi & Gobelino in Cosmodromio *VVerlaon*, Ursbergensi cum aspiratione *VVerlabon* dicitur: ubi tempore impressionis Hungaricæ, alibi intutus, defedit Henricus Auceps, ut VVidechindus monachus & alij plures scribunt. Ejus loci Palatinatus sine dubio per hanc occasionem translatus est Goslariam, quod huic urbi, recens ab Henrico primo Cæsare conditæ: ab ejus nominis secundo amplificatæ: à tertio & quarto ut plurimum habitatæ, aliquis ex his, quicumque ille, non nihil splendoris conferre voluerit. Cui absque dubio in mentem venit, quod præter *VVerlensem* Saxonia Trans-Veserana haberet *Merseburgensem*. Nam *Merseburgum* quintam civitatem Palatinam, seu Palantiam, intelligo de nostro *Eresburgo*, quod quibusdam hoc nomine venit, ut supra pluribus demonstravimus. Sic igitur *Eresburgo* indultus fuit honos sedis Palatinæ, vel à Karolo M. qui ut Fabricius Originum Saxon. lib. 1. affirmat *Albionem Edelhardi F. Diterici Saxonum Regis nepotem*, primum in Saxonia Palatinum constituit: vel (quod mihi verisimilius) à Saxonici generis Cæsaribus, five is fuerit Henricus Auceps, five ejus F. Otto Magnus. Nec mirum videatur cuiquam, in Speculo Saxonico usurpari nomen civitatis de istis locis, quæ tunc temporis (uti etiamnum hodie *Grona* & *VValbusium*) vix fuere opidula, Burgi tantum, hoc est, arces, castella & præsidia opportunis locis condita. Nam & Dittmarus lib. 4. *VValbecum* præfecturæ Wevelingensis pagum Helmæstadio vicinum *civitatem* vocat: Chronicon Halberstadenſe MSC *Isineburgum* nominat *civitatem*, donatam Arnulpho Episcopo Halberstadenſi ab Henrico Claudio Imp: Et
in vete-

in veteribus instrumentis foundationum donationumque monasticarum pluries deprehendi *pagorum incolas cives indignari*. Si quis verò à nobis dissentire, & quintam sedem Palatinam ad Salam Thuringicum, ubi hodie Mersburgum civitas Episcopalis, collocare velit, secutus Ernestum Brotufium Chronici Mersb. lib. 1. cap. 10. ei opposuerim, Westvaliam, quæ Crancio Saxon. lib. 1. cap. 3. lib. 4. cap. 14. *vera & vetus Saxonia* (etsi Suffridus Petri de Frisiorum antiquitate, lib. 2. id neget & perneget) cùm porrecta & populosa sit regio, minimè gentium sede Palatinâ spoliandam. Præterea non sit verisimile Mersburgi ad Salam sit. fuisse sedem Palatini, quod propter quotidianos Slavorum incursus, admodum intutus esset locus, nec tam remotus ut Eresburgum, sive Mersburgum Westvaliæ: neque illa erat ejus facies (quod non dissimulat Georgius Hahn Ditmari Mersburgensis interpres Germanicus in Supplemento) quæ hujusmodi splendorem caperet. In Brotufij verò antiquitatibus censendis nullam hic ponemus operam, cum constet eum non pauca posteris tradidisse, quæ fidem omnino non merentur, quod non semel inculcat Dominicus Dreverus in genealogijs Saxonis MS. restantur etiam alij, & nos per occasionem manifestum faciemus. Præterea cùm *Alsteri ad Ilmum* esset sedes Palatina, & *Walhusium*, Hercyniæ opidum, æquali inter Querfurtum & Sangerhusium distantia situm, quid opus erat aliam in viciniâ Mersburgi instituire? Sed contentiosior esse hîc nolo, relinquens lectori judicium.

Brotuf

CAPUT XIV.

*Quomodo Eresburgum ad archiepiscopatum
Coloniensem pervenerit.*

IN posteris Wittechindi magni novissimus & ultimus Eresburgum possedit *Henricus Leo, Henrici Superbi, ex Gertrude,*

13

Cæsaris

Cæsaris *Lotharij* primogenitâ filius: Bojoariæ & Saxonix
 Dux potentissimus: cujus ditiones Rheno adeo fuere vicina,
 imo contigua, ut in peculio suo stanti sagittam ex arcu in flu-
 men illud eiaculari non esset difficile, quemadmodum id Le-
 onem de se gloriatum Philippus Vbiorum archiepiscopus,
 Chronico Coloniensi attestante, in literis ad Ducem Geldrix
 perscripsit. Incomparabilis iste princeps, *Henricus Leo*, et si
 populum sibi subjectum justè & secundum leges in omni pace & tran-
 quillitate regeret & gubernaret, ac propter pacem & justitiam cun-
 ctis factam, in ore omnium laudem & honorem super omnes princi-
 pes illius temporis haberet, ut præclarè Ioannes Trithemius
 Chronico ducum Boioariæ, per invidiam tamen & injuriam,
 omni penè paternâ maternâque hereditate, in utrâque Saxo-
 niâ, & in his Angariæ & Westvaliæ Ducatibus florentissimis,
 exsutus est. Ab eo tempore Eresbergum, exuviarum pro-
 stratileonis pars, cum toto vicino tractu, in ditione archie-
 piscoporum Coloniensium, qui se *Angaria & Westvalia* Du-
 ces indigetant, usque in hodiernum diem permansit.

Veteres appellationes, quarum meminimus, planè ob-
 soleverunt, ipsaque urbs hodie *Stadtberge* nominatur: poli-
 tiores *Marsbergum* sive *Mersbergam* malunt, manetque opi-
 nio adhuc apud incolas, Martem ibi à majoribus cultum.
 Mons cui urbs incumbit, præcelsus est lateque conspicuus,
 cujus pedem alluit *Dimela* fluvius pisculentus, troctis sive va-
 riolis abundans. Is bonam Westvaliæ partem emensus, re-
 cepto ad *Varburgum*, diœcesis Paderbornensis opidum ele-
 gans, *Almâ* fluvio, non procul ab *Herstello Saxonico* (aliud enim
 est *Gallicum* in diœcesi Leodiensi, à quo nostrati, volente Ka-
 rolo M. anno 797. ut annales Francici & Regino, nomen in-
 ditum) in Visurgim se exonerat. Ad Stadbergam sunt con-
 finia archiepiscopatus Coloniensis, diœcesis Paderbornensis,
 Dynastiæ Waldeccensis, & Comitatus provincialis Hassiæ,
 cujus

cujus principis tutelæ urbs ipsa se ante annos aliquot subjecit. Habet circiter quingenta domicilia pro captu nationis & loci non inelegantia. Cives propter negociationes cum vicinis exterisque assiduas, quas inexhaustæ & perennes in montibus *Surlandicis*, (Neovvaldius Sorlandicos indigetat) metallifodinæ pariunt, in re plerique vivunt lautâ, suosque liberos, tam domi, quàm foris in pietatis & literarum studijs educari curant diligenter. Non procul inde abest *Bredelar* / suprâ à nobis relatum, monachorum instituti Cisterciensis cœnobium: cujus fundatio incidit in annum Christi 1170. ut Christianus Cleinsorgius Lemgovienfis, ICTus & Orator // eminentissimus, in Chronico Comitum Lippiensium manu- // scripto, annotatum reliquit. Et tantum de Eresbergo, ejusque Idolo famosissimo.

Notæ ad Irmensulam.

Pag. 17. lineâ 5. *Eresburg*) Hanc scriptionem sequitur Iohannes Nauclerus Chronographiæ volum. 2. gener. 26. In historiâ Conradi I. Imp. generat. 31. habet *Heresberg*.

Pag. 23. lin. 7.) *Truncum ligni non parvæ*) Eadem invenias apud Nauclerum volum. 2. gener. 31. Mutium lib. 12.

Pag. 24. lin. 13. *Gowgrauen*) Vera hæc est etymologia, inepta quam adfert glossator Speculi Saxonici ad articulum 56. libri 1. *Gograff* heisset ein *Gograff* / durch das / daß er gehe noth oder that richten maa / oder daß er gelichen / oder schnelliglich richten mag / oder daß er gehende richten mag.

Pag. 26. lin. 22. *In Epitaphio Henrici Comitiss.*) Propter vetustatem, & conatum poëtæ, hexametro versu in vernaculâ linguâ utentis, integrum adscribam epitaphium, quod exstat V. Vernigerodæ in templo SS. Silvestri & Gregorij:

Ma bore

Na hort M. schreuen / ver C. twe X. dabyn negent /
 Starff Henrich Greue der von Stalberg leue neue /
 Van Warnrode starff Henrick leste Erue dode :
 Do was de hire Sünne Erasmi vire.
 By Fridach wende / na Besper / was ydt sin Ende.
 Der Seelen sine si Gott gnedig ane pine.

Pag. 27. lin. 12. *Vniuersalis columna*) Ad hunc modum loquitur etiam Nauclerus volum, 2. generat. 31. ubi de Saxonum origine & moribus differit.

Pag. 29. lin. 9. *In gestis Longobardorum*) Vide Paulum VVarnefridum lib. 1. cap. 9.

Pag. 30. lin. 1. *Quod autem Hera colcbatur Saxonibus*) Credi potest *Heram* eandem esse cum *Herthumo*, sive *Hertho* Suevorum idolo, de quo Tacitus in Germania: *in commune Herthum, id est, terram matrem colunt.* Iustus Lipsius, *Notis ad Tacitum*, legi vult *AErthum* Philippus vero Cluverus *German. antiq.* lib. 1. cap. 27. miratur, cur Tacitus antiquum illud idoli vocabulum masculino genere pronunciauerit *Herthum*, cum non Dei sed Deæ voluerit esse nomen. Est autem terra nobis *Erd* / & per aspirationem Germanis usitatam *Herd* / qua pronunciatione etiam hodie Helvetij terram dicunt *Herde*. Habitasse autem olim Suevos etiam in Saxonia testatur Paulus VVarnefridus Diaconus de *gestis Longobardorum* lib. 2. cap. 5. VVidechindus Saxo lib. 1. Nauclerus vol. 2. gener. 20. Crancius Saxon. lib. 1. cap. 29. & Ioannes Neouvaldius *ICTus*, commentario de antiquis VVestvaliæ colonis. In desertas Saxonum, cum Longobardis in Italiam profectorum, sedes à Sigeberto Francorum rege Suevos collocatos scribit Sigebertus Gemblacensis ad annum 568. Atque inde fortassis ille *Herthum* sive *Herthus*, aut *Hera*, utrisque, Saxonibus & Suevis, communis. Richardus Bartholinus *Austriados* lib 9. simpliciter *Erdam* nominat:

Erdaque telluris Dea.

Hinc composita, *Erdman* / *Erdmuth* / *Erdwin* : & pagus *Herd* / miliaris distans à *Wolfenbütel* / Ducum Brunsvicensium aula. Neque dubito, quoniam posterior syllaba in voce *Herthum* ex vulgatâ consuetudine, quâ dicimus *Heiltumb* / *Eigenthumb* / *Reichthumb* / *Irthumb* / *Wachs*.

Wachsthum / priori conjuncta sit. Andreas Althamerus commentario in Taciti Germaniam, putat Eresbergam arcem ab *Hertho*, sive *Erdâ* denominatam. Verba ejus, etsi rectius & commodius supra cap. 5, adduci potuissent, hîc apponam. *Opinor, inquit, Eresbergam, ubi Martis Idolum Irmensuel Karolus Magnus evertit, simul ipsam statuam ab Hertho, sive erdâ, id est, tellure cognominatam.*

Pag. 35. lin. 2. Cesar de Soldurijs) Locus est lib. 3. de bello Gallico. Athenæus lib. 6. cap. 6. *Silodunos* appellat. De his lege Reinerum Reineccium, dum fata Deusque sinebant, collegam meum conjunctissimum, Historiæ Iulix sive syntagmatis parte 2. in regno Celtico, & commentario de nobilitate, pag. 137.

Pag. 46. lin. 3. Urbi cui à vicino saltu der Hilles appellato) Non ignoro vetus Chronicon Saxonicum, Bruschium tomo 1. de Episcopatus Germaniæ, in historiâ Antistitum Hildensemium, & Antonium Mökerum in oratione de Hildensheimio, affirmare, nomen urbis huius promanasse à nive quadam miraculosâ cœlitus delapsâ. Quam etymologiam Crancius in metropoli lib. 1. cap. 10, non veretur affirmare fabulosam, nec dissimulat, unde originem sumserit, quæ omnia in medio relinquo. Apprimè autem mihi arridet illa de saltu isto conjectura, qui etsi arci Hildesheimensi non est contiguus, haud tamen procul abest: & fuisse olim porrectiorem nemo dubitaverit. Nam nec silva Hercynia hodie illud implet spacium, quod ei Cæsar tribuit lib. 6. de bello Gallico. Nostri majores cum apud ipsos, uti Herodianus lib. 7. ait, rara esset structura è lapide atque lateribus coctilibus, densisque potius silvis, quorum confixis coagmentatisque lignis quædam quasi tabernacula ædificarent; plerumque à silvis, amnibus & fontibus, opidula, burgos ac vicos, quos sparsim rarosque habebant, denominarunt, assutâ voculâ aliquâ, mansionem, propugnaculum, tabernaculum, castra, vel locum significante, qualia sunt, *Wüttel / Heim / Horst / Lage / Haus / Stedt / Burg / Welle* / & frequentissimum illud in Saxonîâ Thuringiâ *Lebe* / quod veteres annales & diplomata scribunt *Leue* / unde ortum barbarum illud *lobium*, pergulam significans. Quemadmodum igitur à *Gandâ* fluvio *Gandeshemium*, à fonticulorum frequentîâ *Bornhemium* nomen accepere, sic ab *Hilles* nemore derivo *Hildeshemium*: eâ ratione, quâ *Hamburgum* ab *Hamâ*, *Hujesburgum* ab *Huio*, *Elmesburgum* sedes olim Commendatoria ordinis Teutonici, quæ nunc est in pago *Weddi* / ab *Elmo*, vicinis saltibus, appellationem traxere.

Pag. 56. lin. 26. *Sigeburg super Ruram*) Annalibus Francicis & Reginoni est *Sigisburgum* sine dubio à victoriâ dictum. Captum est à Karolo magno anno 775. insequenti frustra à Saxonibus obsessum. Diversum ab eo est *Sigebergum* in Ducatu Bergensi, dictum à *Sigâ* amne præterfluente. Splendidissimum & magnificum ordinis Divi Benedicti monasterium ejus loci fundavit Anno (Hermannus Contractus & Marianns Scotus Hannonem vocant) ex Præposito Goslariensi tricesimus quartus archiepiscopus Coloniensis. Petrus Merſaus catalogo archiepiscoporum Coloniensium foundationem collocat in annum 1066.

Ibidem. lin. 27. Iburg) Destructum esse à Karolo M. Iburgum affirmat Ertvvinus. Benno sive Bernhardus ejus nominis 2. Episcopus Osnaburgensis 18. motus loci amœnitate, quodque olim primarium patriæ propugnaculum fuisset, novam monti arcem imposuit, addito insigni cœnobio instituti Benedictini, cui primum præfecit abbatem *Northertum*.

Pag. 59. lin. 6. *ad Ambram fl*) Sic appellatur auctori vitæ Karoli M. apud Pithœum: accolis est die *Emmer* influens in *Visurgim*. *Ambrones* Cimbrorum in Italiam irrumpentium fideles socios, denominatos esse ab hoc flumine, natus in ripâ ejus *Steinhemij* Reinerus Reineccius libro de Mysorum origine, contra *Peucerum*, qui à Rheno nomen deducit, affirmare non dubitat.

Pagina eadem lineâ 8. *Remam, ubi VVarne & Visurgis*) Largar hoc vetustati hujus pagi, ut plusculum de eo dicam, quam instituti nostri patitur ratio. Rema nota est Reginoni lib. 2. ad annum 753. ubi meminit Pipinum regem istuc penetrasse. Scribit *Rimia*, quod idem facit auctor vitæ Karoli M. more veterum Germanorum, quibus *i* pro *e* usurpare fuit familiare. Sic *Dithmarus* lib. 6. *VVolmerstetum*, *VVolmerstidi*: lib. ultimo *VVerbenum*, *VVirbini*: lib. 6. *VValbecum*, *VVallibiki* nominat: de hoc addens, significare rivum silvaricum. Non procul à Remâ in arce *Viburg*, ut *Ado Viennensis* ætate 6. (*Regino* lib. 2. depravare *Nigberg*) hodie *der Wedenberg* quem *Bernhardus Luderus* in encomio urbis *Minda* montem *Vedegonis* appellat, à Saxonibus occisus est *Hildigarius*, alijs *Hildebertus*, decimus septimus archiepiscopus Coloniensis castra Pipini regis secutus. Hunc *Karolus M.* sepeliit in monte *Ovesberg*, ut *Hentius de Hervordiâ* lib. 2. cap. 69. Qui idem addit, Remæ à Karolo templum conditum, locoque nomen inditum à *Remis*, urbe archiepiscopali in *Gallijs*, quod facile credo. Nam fami-

Minda.

familiaire fuit Karolo M. peregrina nomina nostris locis inferre. Sic à *Pado Italico*, Padus nostras dictus, teste Gobelino ætate 6. cap. 38. unde urbi Padibornæ nomen: ab *Heristallo Gallico* Herstelle Saxonieum. Idem in *Corbeia* fecit Ludovicus Pius Karoli F. ut *Cranonius metrop.* lib. 1. cap. 24. Habuit Rema olim cœnobium monialium titulo Vallis benedictionis, fundatum anno 1258. de cujus translatione videatur *Cranonij metropolis* lib. 8. cap. 9. & *Hamelmanni Chronicon Oldenburgense* parte primâ, cap. 21. Insignis est etiamnum Rema *Archidiaconatu*, quem non ita pridem tenebat *Theodoricus* ab *Heimborg* vir genere & virtute nobilissimus, tum temporis cathedralis ecclesiæ *Mindensis* Canonicus. Subest pagus Rema dynastiæ, seu Comitatus *Ravensburgensi*, in territorio *Vlothano*.

Pag. 62. lin. 29. Verba Sylvij repetit) Eadem etiam habet *Nauclerus* volum. ẽ gener. 23.

Pag. 64. lin. 1. Virtutum) Priscis Germanis *VVirut*, lex, *VVire*, lege, *VVirutdragere*, legislator. Vide *Lipsum* centuriâ miscelanea tertiâ ad *Belgas*, epistolâ 49.

Paginâ eadem, lineâ 3. VVittium) Quid si nomen hujus judicij derivemus à *Wette* / quod supra diximus significare pœnam? ut sit *Wettegericht* / quasi *Weinlich gericht*.

Pag. 65. lin. 30. Hactenus Chytrau) Cum *Chytrao* consentit *Ertvvinus* cujus hæc sunt verba: Propter quod maxime à *Karolo* sedes liberae sunt constitutæ: Quæ extunc & merito & ex foundationibus per nobiles legales & virtuosos gubernari consueverunt, in defensionem fidei Christianæ, & pœnam malignorum, ad forum & cognitionem earum sedium spectantium: prout & ego legi in verustis literis, ubi nobiles milites scribebantur *Brigrauij* / &c.

Cap. 12. post finem) Adde: A judicio tamen isto *VVestvalico*, seu *Vemio*, separandum omnino est *Judicium Trutmari Comitis*, à *Carolo M.* institutû. Partem diplomatis dedi in *Vindicijs Billinganis*: integrum vero *Notis* ad *VVidechindi Annal.* lib. 2. adscribi curavimus. Separanda sunt *Judicia* per *Saxoniam* alia, ab eodem *Carolo M.* instituta: quæ si fuerint illa, quorum meminit *Gobelinus* ætate 1. cap. 5. his verbis: *Intra patriam eorum (VVestvaliorum) certa loca privilegiavit (Carolus M.) pro fidei defensione, in quibus certo modo iudicium celebratur, quod ipsi Sriegedinc appellat: nec cuiquam licet extra loca ad hoc decreta huiusmodi iudicia exercere, quantacunque ille præ eminentia existat.* Separanda sunt *Iura Sostatix*, sive *Susatix* (ut tum vocabatur *Susatum*,) quæ tempore *Friderici Barbarossa*


SI NOTAE AD IRMINSVLAM.

barossæ in veteri Saxoniam plurimum viguere: quæque Henricus Leo, cui Sufatum suberat, novæ urbi Lubecæ in suam potestatem redactæ, usurpanda tradidit: exauctorato vero Leone idem Imperator Lubecensibus ad deditioem coactis, ad petitionem ipsorum confirmavit, ut est apud Arnoldum Lubecensem lib. 2. cap. 40. Nec est quod quis pro juribus Solfatiæ legendum velit *iura Holfatiæ*, in cujus solo Lubeca condita. Nullum enim id temporis in usu fuit, neque nunc est, peculiare jus Holfatiæ, quum hodie etiamnum omnia Holfatiæ opida Lubecensi jure utantur, & in casibus dubijs à Lubecensibus informari petant.

Pag. 72. lin. 37. Cobbonis) Cobbonem istum ex familiâ Teckelnburgensi ortum fuisse conijcit Spangenbergius, Chron. Saxonici cap. 129. non malè. Fuit enim Cobbonis nomen in familiâ istâ usitatum, sicut Stolbergij habuerunt suos Bothones: Schavvenburgij, Adolfos: Lippienses, Bernhardos & Simones: Honstenii, Eligeros. Coætaneus Ludovici Imp. Cobbo nominatur ab Ertvino: repetit Crancius Metropol. lib. 1. cap. 40. & lib. 2. cap. 14. Hujus Cobbonis frater VVarinus fuit abbas Corbeiensis: N. soror, magna sacerdos, sive abbatissa in cœnobio Hervordienti, ut idem Ertvinus.

Pag. 49. lin. 9. Herstello Saxonico) Herstelle arx est, seu prædium potiùs, agri Paderbornensis in ripâ Visurgis occidentali. Nomen ei inditum à Karolo M. qui ibi castra habuerit, referunt auctores vitæ Karoli, Pithœanus & *ἀνώνυμος* à Reineccio editus. Cum quibus faciunt Annales Francici, Adelmo auctore, disertim tempus, nempe annum 797. addentes. Item Regino lib. 2. Crancius Metropoli lib. 1. cap. 12. Georgij Fabricij Originum Saxon. lib. 4. hæc sunt verba: *In eo loco, qui à stabulis principum Herenstelle appellatus fuit.* Ego vero non tam de castris ibi locatis, quàm de palatio Gallico in dicecesi Leodiensi, cui situ loci & amœnitate simile fuerit, denominatû puto. Palatij istius meminit auctor vitæ Karoli magni, ubi villâ nominat: meminit auctor vitæ Ludovici Pij & Regino, quorum hic ad annum 772. expressè dicitur Karol reversum in Franciam Natalem Domini celebrasse in Heristallo. Præterea annales Francici ad differentiam alterius disertè nominant *Heristallum Saxonicum*. Henricus Hervordientis nominat *Erestal*, alibi tamen *Herstelle*, Chronicon Mindense, & Centuriatores Magdeburgenses ex jam dicto Henrico Hervordienti affirmant conditum hoc in loco fuisse Episcopatum, qui postea ad fontem Padi VVestvalicij Paderbornam migravit. Prædium ipsum Herstelle diu possedit equestris Falcoburgiorum familia, donec illud Henricus Dux Saxoniam, Episcopus Paderbornensis repigneraret.

F I N I S.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

